SACRAE
THEOLOGIAE SPECULATIVAE
INSTITUTIONES

A BLASIO PANZUTI
CONGREGATIONIS SANCTISSIMI REDEMPTORIS

CLERICIS JUVENIBUS
EJUSDEM PRAESERTIM CONGREGATIONIS PROPOSITAE.

VOLUMEN IV.

COMPLECTENS TRACTATUS DE DEO CREATORE, AC PRAESERTIM ANGELORUM, ET PRIMI HOMINIS.



NEAPOLI,
EX TYPIS RAPHAELIS MIRANDA
MDCCCXXIX.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungáris mihi. Oseæ c. 4. v. 6.

Esto, o Doctor, quasi Beseleel (Exodi 36.), *et pretiosas Divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente, illustrius, quod antea obscurius credebatur. . . . Eadem tamen, quae didicisti, doce, ut, quum dicis nove, non dicas nova.* Vincentius Lyrinensis in Commonitorio.

CONSPECTUS

HUJUS IV. VOLUMINIS.



LIBER IV.

De Deo Creatore; ac praesertim Angelorum, et primi hominis.

TRACTATUS I.

TRACTATUS II.

De Creatione Angelorum.

TRACTATUS III.

DE CREATIONE PRIMI HOMINIS. pag. 100

LIBER IV.

De Deo Creatore ; ac praesertim Angelorum, et primi hominis.

Deo Creatori inscriptus hic liber est. Cumque Creator fuerit visibilium, et invisibilium rerum, nedum nempe adspectabilis hujus Mundi, sed et incorporearum quoque substantiarum, inter quas maxime eminent Angeli, et Animae rationales, quibus nos homines informamur; distinctus proinde hic liber est in tres Tractatus: quorum primus pro argumento habet adspectabilis hujus Mundi creationem; alter creationem Angelorum; postremus creationem primi hominis. Sit igitur

TRACTATUS I.

CAPUT UNICUM.

De creatione Mundi.

Mundum creatum a Deo esse, idque sex dierum spatio, scribit Moyses: quos dies litteraliter intelligendos esse, major docet et Patrum, et Theologorum, et Interpretum numerus: intelligendos vero esse allegorice, docet D. Aug. tum l. 4. de Gen. ad lit. c. 22., tum l. 11. de Civ. Dei c. 7., ubi omnia unico momento, ait, fuisse producta; et sex dies in Genesi enumeratos esse unum temporis instans in sex dies partitum ob diversam cognitionem Angelorum, *vespertinam* nempe, qua cognoverunt res creatas ante acquisitionem beatitudinis, ac *matutinam*, qua eas Angeli Sancti post adeptam beatitudinem cognoverunt in Verbo: ut enim S. D. scribit l. cit. De Civ. Dei, *cognitio creaturae in seipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte, qua facta est.*

Dupliciter autem creatio sumitur in Scripturis; 1.° scilicet late, et improprie pro quavis productione; quo sensu Sapientia de se dicit Eccli. 24. *Ab initio, et ante saecula creata sum*: 2.° stricte, et proprie pro eductione alicujus rei ex nihilo sui, et subjecti; quo sensu esse intelligenda illa Gen. verba, *In principio creavit Deus Coelum et Terram* (1), fides docet, ac paullo infra demonstrabimus. Mundum porro a Deo creatum esse, negarunt ex haereticis Manichaei, ajentes, res corporeas, non a Deo bono, sed a Deo malo esse productas, ut refert D. Aug. *haer.* 26.; quod etiam asseruerunt haeretici Albigenses, ut testatur D. Antoninus 3. *p. hist. tit.* 19. *c.* 1. . Ipsum vero creatum esse ex nihilo, negarunt ex haereticis Marcionitae, ajentes, teste Tertull. *l.* 5. *adv. Marcion.*, materiam primam ex se esse, ideoque a Deo non esse productam. Quibus praemissis, sit, tamquam omnium dicendorum basis,

Prop. I. Quod magni facienda sit historia creationis Mundi a Moyse descripta, nedum fides, sed et ratio suadet.

Prob. Cum enim agatur de rebus ab aetate nostra remotissimis, iis profecto Scriptoribus major debetur fides, qui caeteris sunt antiquiores, omnesque veritatis notas praeseferunt. Primum autem fuisse Moysen omnium Scriptorum antiquissimum, ex eo patet, quod inter Graecos Herodotus historiae parens, ut *l.* 1. *de legibus* appellatur a Tullio, vixit sub Xerse, et natus est octennio post pugnam Marathoniam, ideoque longe post Moysen; quodque eum deinde secuti sunt Thucidides, qui floruit tempore belli Peloponnesiaci, Xenophon, Anaximander Milesius, aliique posteriores. Inter Ægyptios vero antiquissimus est Berosus; sed natum fuisse biennio ante obitum Alexandri, ideoque longe etiam post Moysen, demonstrat Vossius *l.* 1. *Hist.* . Antiquus quoque est Theodotus, qui memoriae tradidit res Phoenicum: sed et est aetatis incertae; et meminit suis in libris Judaeorum, ut constat ex *l.* 1. *Josephi cont. Appionem*; ideoque Moyse posteriorem fuisse, evidens est. Sanchoniathonem quoque ex Moyse narrationem suam de rerum principiis, et Mundi origine hausisse; Homerum sexcenta narrare ex Moyse deprompta; ipsumque Moysen esse Mercurium, Osiridem, Bacchum, Serapidem, et quidquid Divinum Gentilium Theologia docuit, summa eruditione

ostendit Illustrissimus Huetius in *Dem. Evang. ad prop. 4. de libr. Mosis*. Magnum illum denique Hebraeorum Legislatorem quingentis ferme annis floruisse ante Homerum, ac plus quam mille, et bis centum annis ante Socratem, Platonem, et Aristotelem, qui velut culmina, ac Magistri omnium Graeciae Sapientum habentur, a quibus proinde dici nequit sapientiam suam hausisse, in compertis est. Haec quoad ejus antiquitatem.

Cultissimum vero item fuisse, nedum Actus Ap. testantur c. 7., ubi dicitur eruditus *omni scientia Ægyptiorum*, verum etiam testis est Philo *l. 1. de ejus vita*, ubi scribit etiam, Graeciae doctissimos fuisse ad ejus adhuc pueri institutionem accersitos. Ac tandem ingenuum, atque a mentiendo alienissimum fuisse, probant, nedum omnia ejus scripta, in quibus unius Dei cultus, Idolorum contemptus, sanctissima tum praecepta, tum monita ad virtutum officia, leges regendis populis percommodae mirabiliter elucent; sed et miraculorum splendor, quibus de Missione, ac sanctitate simul servi sui Deus ipse testimonium perhibuit. His autem positis, quisnam in eo optimi historici notas non videt? Magni igitur faciendam esse ejus historiam de creatione Mundi, nedum fides, sed et ratio suadet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.°, quod tempore Moysis tum scriptionis natura, tum usus non aliter scribendi, quam hieroglyphicis litteris, notis scilicet quorumdam aut animantium, aut aliarum rerum, impossibilem illi reddebant Pentateuchi scriptionem; cum enim scriberetur in lateribus, aere, arborum corticibus, palmae foliis, etc., quisnam sibi suadere poterit, potuisse Moysen in id genus rebus quinque incidere volumina? Cumque item non scriberetur, nisi litteris hieroglyphicis, quaedam tantum rerum substantia transmitti posteris poterat id genus characteribus, non vero historia suis omnibus circumstantiis stipata. Ita impiissimus Voltairius *Phil. de l' Hist. art. Moyse.*

R. ad 1., difficile quidem fuisse ante artis typograghicae inventionem in id genus rebus scribere: ubinam tamen ulla vel metaphysica, vel physica, vel mo-

ralis impossibilitas taliter quaevis etiam volumina scribendi, maxime cum ante inventionem artis typographicae non aliter per tot, ac tanta saecula scriptitatum fuerit? Ad 2.m autem, nihil a vero alienum magis, quam quod tempore Moysis nonnisi hieroglyphicis litteris scriberetur: *Quasi tutti gli antichi Autori* (ita Abbas Du-Clot in observationibus, quas praemittit operi, cui titulus: La Santa Bibbia vendicata), *greci, e latini, ai quali fa d' uopo unir Giuseppe, si accordano in dire, che Cadmo portò le lettere, o caratteri Fenicii nella Grecia. Secondo Freret, di cui non si può ricusare la testimonianza in fatto di cronologia* (*Memoires des inscript. tom.* 5. *pag.* 311.), *Cadmo si stabilì a Tebe nella Beozia l' anno* 1590. *avanti Gesù Cristo, il che corrisponde all' anno del Mondo* 2410. . *Mosè non ricevè la sua Missione, che l' anno del Mondo* 2513. , *secondo l' Usserio, la cui cronologia è comunemente seguita. Così le lettere, e la scrittura erano in uso più di cento anni avanti la Missione di Mosè: La Scrittura era dunque conosciuta, ed inventata dal tempo di questo legislatore. Freret prova inoltre con fortissime ragioni* (*ibid. pag.* 615.), *che i Greci avevano di già i caratteri, prima di ricevere quelli da Cadmo, per i quali essi lasciarono il loro antico alfabeto. L' antichità della Scittura è confermata ancora dal nome, che portava una Città di Canaan a tempo di Giosuè* (c. 15. v. 15.). *Essa appellavasi* Cariath Sepher, *Città dei Libri: E' dunque falso, che a tempo di Mosè non scrivevasi, che in geroglifici.* Nec praetermittendum, sibi etiam Voltairium contradicere; ut enim idem Scriptor pergit, *in un libro intitolato* Dieu et les hommes c. 9. *egli pretende, che Sanconiatone vivesse prima di Mosè, e che la sua opera sia degna dell' attenzione del Mondo intero. Dopo aver ripetuto la medesima cosa nella sua Diatriba dell' Abate Bazin sopra Sanconiatone, aggiunge: Questo Autore Fenicio confessa in termini proprj, ch' egli ha tratto una parte della sua Storia dagli scritti di Thot, che fioriva ottocento anni prima di lui. . . Come dunque al tempo di Mose non si conoscevano le lettere Alfabetiche, se il Fenicio Sanconiatone anteriore a Mosè scriveva in lettere alfabetiche, ed ottocento anni prima di lui vi erano in Egitto dei libri scritti col soccorso dell' alfabeto?*

Objic. 2.° Multa esse in Mundi Genesi iuxta Moysen n. dum intellectu difficilia, sed et absurda; prout sunt Dei cum Adam conversatio; locutio Serpentis, ac Hevae adhaesio illius locutioni; Adae, caeterum adeo Sapientis, existimatio, quod comedendo de fructu vetito similis Deo efficiebatur; appellatio ligni vetiti per lignum scientiae boni, et mali, quasi res materialis habuerit vim pariendi omnimodam scientiam; aperitio oculorum Adae, et Hevae post lapsum, quasi prius eorum oculi essent clausi.

R., quod nihil horum facessit; dicimus namque ad 1.m cum Bossuetio: *Quel gran Dio, che avea fatto l' uomo a sua somiglianza, e gli aveva dati de' sensi, come un necessario soccorso al suo spirito, compiacevasi nel mostrarsi a lui sotto una forma sensibile* (*Disc. sulla Stor. Univ. p. 2. c. 1.*). Ad 2.m, nihil intellectu facilius, quam quod Spiritus, idest Daemon, ita egerit serpentis os, ut articulatos sonos ediderit, quodque femina se persuaderi siverit a Daemonis promissionibus. Ad 3.m, Adam et Divinae omniscentiae ambitione, et mulieris amore captum oculos luci clausisse, et cecidisse: utque ait D. Aug. l. 11, in Gen. c. 4., infelix cecidit, *amicabili quadam compulsus benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne offendatur amicus.* Ad 4.m, lignum illud vocatum fuisse *lignum scientiae boni*, et *mali* ab eventu, quia scilicet illius esu primi parentes experti sunt, vera esse, quae Deus minatus fuerat, et falsa, quae serpens promiserat. Ad 5.m, eosdem aperuisse oculos post lapsum eo sensu, quo solemus dicere de eo, qui sapientior factus est experimento miseriae, quam incurrit ob contempta salutaria monita, *tandem aperuit oculos.*

Objic. 3.° Moysis historiam de Mundi exordio non congruere cum Dynastiis Ægyptiis, quae Ægyptiorum originem multis annorum millibus vetustiorem exhibent; ut enim fert Ægyptiorum historia a Manethone scripta, eorum Dynastiae, seu Principatus annos 53535. conficiunt: Nec cum eo, quod refert Berosus, Chaldaeos nempe servare observationes Astronomicas annorum 480000.: Nec demum cum Annalibus Sinensium, qui originem illius nationis longe antiquiorem describunt, quam ferat Moysis historia.

R. ad 1.m, Dynastias Ægyptiorum fuisse vel confictas,

vel simultaneas, Principum nempe eodem tempore variis Ægypti regionibus imperantium ; ac demum non unam apud eos fuisse annorum formam, fuerunt namque apud eos modo anni unius mensis, modo duorum, modo trium mensium, ut scribunt Plinius *l.* 7., Censorinus *de Die Natali*, et Diodorus *l.* 1. *hist.*; modo demum quatuor, ut testatur D. Aug. *l.* 12. *De Civ. Dei c.* 10., ubi : *Perhibentur Ægyptii, quondam tam breves annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur.* Ad 2.m, Berosum mendacem esse, ut constat ex Callisthene, qui testatur, diligenter illas Chaldaeorum observationes inspexisse, nec eas reperiisse supra annos 1093. . Ad 3.m, Sinensium Annales esse fabulosos, ut comperit et Du Halde, et D. Fouquet, qui ambo per multos annos apud Sinenses incoluere ; eosque confinxisse ad Nationis gloriam extollendam, in comperto est apud Eruditos : *Mostra Natal D' Alessandro* (ita B. Ligorius in aureo opere, cui titulus *Verità della Fede p.* 2. *c.* 2.) *nella Dissertazione sulla Creazione all' art.* 4., *che le Dinastie Egiziane antiche, colle quali si sforzano gl' Increduli di smentir la Genesi sulla Creazione del Mondo, son tutte favole, ed affatto false. E similmente son falsi gli Annali de' Cinesi, che recano gl' Increduli al medesimo oggetto, mostrando il Cassini, il Wiston, ed il Freret, che le loro memorie non giungon più oltre, che al Regno di Yao, e di Chuna fondatori della Cina verso gli anni* 1990. *prima dell' Era Cristiana, sicchè non possono ascender più, che al tempo del Diluvio.*

Objic. 4.° A nemine Moysen potuisse rerum, de quibus scripsit, notitiam haurire.

R., quod praescindendo etiam a Spiritus Sancti revelatione, quo afflante, et assistente suam historiam scripsit, utique potuit ex Majorum traditione res ante se gestas discere; ut enim idem Ligorius disserit l. cit. p. 1. c. 2., *Noè nacque* 126. *anni soli dopo la morte di Adamo* (*Gen.* 5.), *onde ben potè in età di* 30. *anni saper l' origine del Mondo da molti, che avevan conosciuto Adamo, e specialmente da Lamec suo Padre, nato* 56. *anni prima di morire Adamo. Così Abramo ben intese da Noè, mentre nacque* 58. *anni prima di morir Noè, quanto questi sapeva di Adamo : e Mosè ben potè saper tutto da Caat suo avolo, che convisse già con Giacobbe nipote di Abramo.* Quod et declarans

laudatus Abbas Du Clot, addit loco citato: *Non aveva bisogno Mosè di andare a rintracciar molto lontano le tradizioni dei suoi Antenati. Amram suo Padre aveva veduto Levi, ed era vissuto lungo tempo con lui. Levi era stato trentatre anni con Isacco; Isacco era vissuto cinquant' anni con Sem: Sem era vissuto novant' anni con Mathusalem; e Mathusalem era vissuto dugento sessantatre anni con Adamo: dal che ne siegue, che Adamo, Mathusalem, Sem, Isacco, Levi, ed Amram padre di Mosè si eran veduti successivamente, e si erano istruiti della Storia del Mondo. Così tra Adamo, e Isacco non vi ha, che due persone, Mathusalem, e Sem: e tra Isacco, ed Amram padre di Mosè non avvene che una sola, che è Levi. Or è sensibile, che la durata della vita di questi Patriarchi in vece di far perdere la memoria delle istorie passate, serviva al contrario a conservarla.*

Quod demum Moysis libri omni simul cum veteri Testamento non perierint in expugnatione Urbis Jerusalem facta a Nabuchodonosor Chaldaeorum Rege, ut quidam e Religionis hostibus inquiunt; ac neque in ejusdem expugnatione facta ab Antiocho Epiphane Syriae Rege, ut inquiunt alii; contendentes idcirco, nonnisi spurios esse eos, qui Moysis nomine circumferuntur: jam ostendimus l. 1. c. 2. pag. 55, et 56.; quod proinde, ne actum agamus, hic loci praetermittimus.

Prop. II. Creatio stricte, et proprie sumpta nonnisi unius, ac solius Dei esse potest; cujusmodi credendum est, hujus mundi creationem fuisse. Prima pars est communis inter TT.; altera de fide.

Prob. I. pars Et 1.° ex Script:; ut ex Eccl. 1., ubi: *Unus est altissimus Creator Omnipotens.* Et Jer. 32.: *Domine Deus, ecce Tu fecisti Coelum, et Terram in fortitudine tua magna.*

2.° Ex PP., qui adversus Arianos probant Divinitatem Verbi ex eo quod Creator omnium dicatur; ut D. Ath. *ser.* 3. *cont. Arian.*; D. Aug. *tr.* 3. *in Jo.*; aliique. Addit laud. D. Athan. ep. ad Africanos, notas Divinitatis esse *vim creandi, aeternitatem, et immutabilitatem; quas* (pergit) *creaturae habere non possunt*: nec non D. Aug. l. 9. de Gen. ad litt., quod *creare naturam aliquam tam nullus potest Angelus, quam nec seipsum.*

Duplici demum ratione; ut enim l. 2. tract. 2. c.

1. pag. 30. disseruimus, 1.° quidem cum nullum possibile ullatenus conducere, aut repugnare sui effectioni possit, sed omnia aeque sint indifferentia, ut producantur, vel non producantur, hinc potentia aliquid creandi omnibus possibilibus creandis eo ipso sufficit. Potentia autem omnibus possibilibus creandis sufficiens est infinita; atque haec nonnisi Enti infinito, idest Deo, convenire potest: Et nonnisi Deo igitur creandi potentia. 2.° cum omnis motus physicus, et mechanicus inutilis sit, ubi nullum, quod exagitet, subjectum reperitur, hinc creatio nonnisi a sola voluntate potest prodire. Sola autem voluntas infinita, ad cujus nutum quidquid vult, fiat, intelligitur potens ad educendum aliquid ex nihilo; quia enim voluntas finita, et limitata, quo minores reperit dispositiones ad aliquid edendum, eo difficilius illud edit, quomodonam educere aliquid poterit ex nihilo, a quo ad transitum, seu ad rationem entis actu existensis nulla prorsus adest dispositio? Solius ergo voluntatis, ad cujus nutum quidquid vult, fiat, ideoque unius, ac solius Dei, creatio proprie, ac stricte sumpta esse potest.

Prob. 2. pars. Et 1.° ex Scripturis; ut ex Geneseos exordio: *In principio creavit Deus Coelum, et Terram, terra autem erat inanis, et vacua*; licet enim vox *creavit*, in Textu hebraico *Bara*, significet et productionem ex nihilo, et formationem ex subjecta materia, ut patet ex eodem cap. Genesis, ubi dicitur v. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*, ad priorem tamen significationem hic determinatur ex verbis tum immediate antecedentibus, tum immediate subsequentibus; immediate enim antecedentia *in principio*, seu ante omnia, productionem ex nihilo satis exprimunt, cum exprimant, antea nihil fuisse, seu extitisse; immediate vero subsequentia, quid enim terra illa *inanis, et vacua*, nisi illud idem, quod Poetae *indigestam molem*, Philosophi autem *materiam* appellaverunt? Quare quum dicitur, quod terra ipsa inanis, et vacua fuit a Deo creata, significatur profecto, quod et ipsa *moles informis*, ipsaque materia creata fuit.

Item ex Ps. 145. de Deo ajente: *Qui fecit Coelum, et Terram, Mare, et omnia, quae in eis sunt.* Cui respondet et illud D. Jo. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Et illud Apostoli ad Rom. 11, *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Ve-

rum autem non esset, quod ex eo sunt omnia, quodque omnia fecerit, ac per eum omnia facta sint, si rerum materia esset ex se, ac ex ea praeexistente omnia fecisset: Dicendum ergo, quod ipsa rerum materia ex Deo est; quodque, nullatenus ea praeexistente, ipsam quoque Deus, ideoque ex nihilo Mundum condidit.

Expressissime demum ex l. 2. Mach. c. 7., ubi Sancta Machabaeorum Martyrum Mater juniorem filium suum alloquens, atque ad Martyrium fortiter subendum adhortans, *Peto, nate* (illi ait), *ut aspicias ad Coelum, et Terram, et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus.* Nihil profecto expressius.

2.° Ex Conc. Later, IV. C. *Firmiter*, ubi dicitur firma fide credendum, *Deum utramque de nihilo condidisse naturam, spiritualem, et corpoream, Angelicam, et Mundanam.* Cui accedit quod universa Ecclesia in Symbolo profitetur; se scilicet credere *in unum Deum, factorem Coeli, et Terrae, visibilium omnium, et invisibilium.*

3.° Ex PP.; ex quibus sufficiat D. August. l. 1. de Gen. ad lit. c. 14. *Catholica fides praescribit, et certissima ratio docet, nullam naturarum materiam esse potuisse, nisi ab omnium rerum non modo formatarum, sed etiam formabilium inchoatore Deo, atque Creatore.*

4.° Rationibus l. 2., tr. 1., c. 2., ubi de Dei existentia, allatis: evidens namque est ex momentis allatis loco cit., Mundum non esse *a se*, sed *ab alio* quoad ipsam materiam. Idem autem id dictu est, quodque eductus fuerit ex nihilo; quomodonam enim *ab alio* existeret quoad ipsam materiam, si numquam haec fuisset in nihilo, sed semper extitisset? Quomodonam existentiam, quam semper habuisset, potuisset accipere? Ex nihilo igitur fuisse eductum, dicendum est.

Immo ex allatis cit. loco momentis nedum sequitur, Mundum eductum fuisse ex nihilo, sed et 1.° cum omnia tam post, quam ante eorum eductionem ex nihilo, aeque sint entia contingentia, quae scilicet rationem suae existentiae in sui ipsius essentia non habent; sicut Sol proinde conservat lumen a se emissum, ita et omnia continuo, et immediato influxu a Deo conservantur. Hinc dicitur Sap. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, ni-*

si tu voluisses? Et Jo. 5. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* In quae ita D. Thomas 1. p. qu. 73.° art. 2. ad 1. *Deus usque modo operatur servando, et administrando creaturam conditam.* Et Act. 17. *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus,* idest *ex ipso*, ut patet ex verbis antecedentibus: *Cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia.* Demum ad heb 1. *Portans omnia verbo virtutis suae.* Ideo etiam D. Aug. l. 4. de Gen. ad lit. c. 12., *Creatoris* (inquit) *potentia, et Omnipotentis, atque Omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturae: quae virtus ab eis, quae creata sunt, regendis si aliquando cessaret, simul et ipsorum cessaret species, omnisque natura concideret.* Et D. Greg. M. l. 16. Moral. c. 18. *Omnia tenderent in nihilum, nisi ea manus Omnipotentis conservaret.* 2.° quia, ut tritum illud Philosophorum fert, *operari sequitur esse*; sicut proinde quodvis agens creatum Deo Conservatore indiget, ejus nempe continuo, et immediato influxu, ut sit, eodem quoque indigere, ut operetur, consequens est. Quare nedum dicitur cit. loco Act., quod *in ipso vivimus*, sed quod in ipso *et movemur, et sumus.* Et Luc. 4. narratur, quod Judaeis concurrentibus, ut Christum praecipitarent ex supercilio montis, *ipse transiens per medium illorum ibat*, illis scilicet invisibilis factus, Deo concursum denegante eorum oculis, alioquin apertis. 3.° quod non tantum id, quod per creationem productum est, sed etiam id, quod per causas secundas in dies efficitur, immediate a Deo, tamquam causa prima simul concurrente, producitur. Quare et dicitur Ps. 146. *Qui producit in montibus foenum, et herbam servituti hominum.* Et 1. ad Cor. 12. *Qui operatur omnia in omnibus.* Qua super re apposite etiam D. Aug. ep. 146. ad Consentium: *Quomodo negare poterimus, Deum etiam nunc operari cuncta, quae creantur, cum Dominus dicat: Pater meus usque nunc operatur?* Et paullo post: *Si Deus nunc ista non format, quomodo legitur: Priusquam te formarem in utero, novi te?*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod dicitur Sap. 11 *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quae creavit orbem Terrarum ex materia invisa:* Non igitur ex nihilo.

R. cum D. Aug. l. 1. de Gen. ad lit. c. 6., creasse Deum Orbem Terrarum ex materia invisa, quia prius materiam confusam, et informem produxit, et ex hac deinde Orbem Terrarum condidit.

Objic. 2.° Æque dicitur c. 1. Genesis, quod *in principio creavit Deus Coelum, et Terram*, quodque *creavit Deus Cete grandia*, quae tamen producta fuerunt ex aqua; quodque *creavit hominem ad imaginem, et similitudinem suam*, tametsi illum formaverit *de limo terrae*. Quod cum ita sit, dicendum profecto est, quod sicut nec cete, nec homo fuerunt ex nihilo producta, ita nec Coelum, et Terra producta fuerint ex nihilo: Ita ergo dicendum.

R. neg. sequ min.; quod enim, quum dicitur: *In principio creavit Deus Coelum, et Terram*, intelligatur per verbum *creavit* eductio ex nihilo, nedunt tradunt in hebraica lingua doctissimi, verum etiam supra ex verbis tum immediate antecedentibus, tum immediate subsequentibus ostendimus. Aeque autem verbum *creavit* usurpat Scriptura ad significandum utrumque, tam scilicet productionem ex nihilo, quam formationem ex subjecta materia, quia haec, nempe materia, nihil confert ad actionem Dei, utpote qui eadem facilitate, qua ex materia praeexistente, ipsamet quoque omnia quaecumque, dum vult, ex nihilo efficit.

Objic. 3.° Creatio ex nihilo nedum est inintelligibilis, verum etiam videtur contradictionem implicare, quasi nihilum esse possit subjectum, e quo aliquid fiat, ideoque nihilum ex hypothesi, ac simul non nihilum, quia ex eo aliquid fieret. Quod cum ita sit, figmentum dicenda est creatio ex nihilo: Non ergo aliter, quam, ut figmentum, habenda.

R. neg. maj.; utique enim ob nostrae mentis imbecillitatem modum creationis ex nihilo non comprehendimus, perinde ac alia etiam innumera ipsius ordinis naturalis citra omnem dubitationis aleam posita; falsum tamen est, quod implicet contradictionem: hanc enim implicat quidquid ponit, idem simul esse, et non esse; ejusmodi autem non est creatio ex nihilo, aliud namque est, idem simul esse, et non esse, aliud vero, ut id, quod non erat, incipiat jam esse. Ad id vero, quod additum est, facilis quoque est responsio; quod nempe dum asseritur creatio ex nihilo, non asseritur, nihilum esse

subjectum, e quo aliquid fiat, sed per infinitam Dei potentiam id, quod numquam, nec ullatenus fuit, fieri, ut sit.

Objic. 4.º tritum illud, quod *ex nihilo nihil fieri potest*: Nec Mundus igitur fieri potuit ex nihilo.

R. quod ex nihilo nihil quidem fieri potest, si id intelligatur 1., quod nihil esse potest sine ratione sufficiente. 2., quod nihil seipsum producit. 3., quod nihil per vires naturales ex nihilo educi, vel in nihilum redigi potest. 4., quod ex nihilo, tamquam materia, nihil potest fieri, nequit enim nihil esse cujusdam rei materia. 5., quod nihilorum additione nihil obtinetur. Utique tamen per infinitam Dei potentiam fieri potuit, et revera eductus fuit Mundus ex nihilo; nisi enim factus esset ex nihilo, sed ex materia praeexistente, hujus existentiae ratio vel fuisset ex ipsius materiae essentiae, vel ex nihilo. At non 1.m; cum enim materia ita existat, ut possit aeque concipi non existens, profecto dicendum est, rationem suae existentiae in sui ipsius essentia eam non habere, nam quum praedicatum aliquod convenit enti ratione essentiae, eo prorsus modo praedicatum illud concipi nequit ei non convenire, quo concipi nequit, idem simul esse, et non esse, ut rotunditas respectu circuli, ratio respectu hominis. Neque etiam alterum, idem namque esset, ac aliquid esse absque ratione sufficiente, vel seipsum produxisse. Cui accedit, quod mens, intelligentia, ac ratio ex nihilo prodivissent, nihil namque in materia deprehenditur vel mentis, vel intelligentiae, vel rationis specimen. Quae fusius caeterum consulantur l. 2. tract. 1. cap. 2. Ex quibus patet, creationem Mundi ex nihilo ostendi potius per allatum principium, quam impugnari; quia nempe, nisi Mundus creatus esset ex nihilo, sed ex materia praeexistente, hujus existentiae ratio petenda esset ex nihilo; e quo etiam mens, intelligentia, ac ratio prodivissent.

Prop. III. Mundus neque est, neque esse potuit aeternus. Prima pars est de fide: altera communior, et certa.

Prob. 1. pars. Et 1.º ex Script.; ut ex Gen. 1., ubi: *In principio creavit Deus Coelum, et Terram*. Temporis autem initium *principii* nomine eo loci Moysen intellexisse, luculenter ex eo patet, quod sexta ab hinc die, hominem a Deo formatum esse, asserit, ac inde au-

nos numerat, qui ab illius creatione ad exitum usque populi ex Aegypto fluxerant; quodque initium temporis habuit, non est aeternum: Non ergo Mundus aeternus.

Item ex c. 8. Prov., ubi Dei Sapientia de se ait: *Dominus possedit me, antequam quidquam faceret a principio . . antequam Terra fieret, et nondum erant abyssi, et necdum fontes aquarum eruperant, nec montes gravi mole constiterant.* Quid autem hinc clarius, quam quod nihil horum sit Deo coaeternum?

Item ex c. 19. Jo., ubi: *Clarifica me, Pater, claritate, quam habui apud temetipsum, priusquam Mundus fieret.* Priusquam autem fieret, profecto non extitit; quodque aliquando non extitit, non est aeternum: Non ergo aeternus.

2.° Ex verbis Lateran. IV. supra relatis, quod *Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corpoream.*

3.° Ex subsequentibus PP. testimoniis.

4.° Ratione. Et 1.° si Mundus stricto, ac proprio sensu creatus est, aliquando non extitit; nam quod ex nihilo eductum, et de non esse ad esse translatum fuit, evidens est, quod aliquando non habuit esse, idest non extitit; quodque aliquando non habuit esse, idest non extitit, hoc ipso initium aliquando habuisse, nemo est, qui non videat. Mundus autem ex ostensis prop. ant. stricto, ac proprio sensu creatus est: Aliquando ergo non extitit, sed initium habuit; cumque initium habuerit, profecto non aeternus.

2.° Si Mundus fuisset ab aeterno, neque imae valles, neque juga, et vertices montium darentur; nam cum pluviae e montibus, ac rupibus continuo arenam, glebasque corrosissent, quas transtulissent in planities, ac proximiora maris littora, valles profecto post infinitam saeculorum seriem oppletae fuissent terrae lapillorum congerie, montes vero aequati solo, et in planum redacti. Adsunt autem valles, et montes: Non ergo Mundus fuit ab aeterno.

3.° Si Mundus ab aeterno extitisset, et artium, et tot, tantarumque rerum, a quibus hominum vita, ac societas dependet, inventio foret quoque aeterna; et praeclariora saltem, quae per infinita retro saecula evenire debuissent, historiae monumentis consignata haberentur. Neminem autem latet, quod et artes, et innumera ad

humanum usum necessaria nuper excogitata fuerint, ac recens inventa; quodque omnium, quae ante captum Ilium, vel Olympiadum usum in Mundo evenere, nulla prorsus, praeterquam in Sacris Scripturis, memoria extat, aut si qua extat, haec est adeo confusa, ut pro meris fabellis, Poetarumque figmentis merito habeantur: Non ergo Mundus ab aeterno extitit. Nec dici potest, quod rerum vicissitudines veterum historiarum absumere potuerint monumenta. His namque vicissitudinibus vel totum hominum genus periisset, vel non. Si 1.m, quisnam praeteritam universorum cladem nuntiasset? Si alterum, jam superstites fuissent, qui veterum inventa, ac facta posteris transmitterent.

Prob. 2. pars. Et. 1.° ex PP., quos inter praecipue D. Athan. *ep. ad Serapionem*, et alibi; ex Verbi enim aeternitate ejus simul Divinitatem adversus Arianos adstruentes, ita ajebant: *Quod est aeternum, nequit esse creatum. Verbum est aeternum: Non igitur creatum esse potest.* Quod et Concilium Nicaenum confirmans contra eosdem, *Quicumque* (ajebat) *dicit Filium creaturam, dicit, eum coepisse.* Id genus autem argumentatio, illudque Nicaeni effatum locum non haberent, si quod creatum est, aeternum esse posset.

2.° Ex PP. expresse id asserentibus, ut laud Athan. in 2. cont. haeret. disput., ubi: *Tametsi Deus possit semper facere, at res creatas aeternas esse, non potest, quippe ex non extantibus sunt, et non erant, antequam fierent. Quae autem non sunt, antequam fiant, quomodonam poterant cum Deo, qui semper est, existere?* Et D. Basilius l. 2. cont. Eunom. *Nos id, quod aeternum est, de creatura attestari, et Creatorem hac professione privare, ejusdem amentiae dicimus.* Et D. Ambr. in Hexameron: *Quid tam inconveniens, ut aeternitatem operis cum Dei Omnipotentis aeternitate conjungere?* Demum D. Jo. Damasc. l. 1. de fide c. 8. *Rei natura non patitur, ut quod ex non esse ad esse deducitur, coaeternum ei sit, quod sine principio, et semper est.*

3.° Ex ratione supra allata; quod nempe idea creationis est, quod per illam res producantur ex nihilo. Si autem ex nihilo, ex non extantibus; et si ex non extantibus, necesse est, ut aliquando non fuerint; quodque necesse est, ut aliquando non fuerit, repugnat, quod sit aeternum: Repugnat ergo, Mundum creatum esse ab aeterno; quare et esse aeternum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.º quia intellectus Divinus necessario cognoscit quidquid est cognoscibile, Deus idcirco absoluta naturae suae necessitate ab aeterno cognovit possibilitatem Mundi. Porro ejus voluntas necessario etiam vult quidquid vult: Sicut ergo absoluta naturae suae necessitate ab aeterno cognovit possibilitatem Mundi, ita etiam absoluta naturae suae necessitate ab aeterno ejus existentiam voluit.

R. dist. min.; quod nempe voluntas Dei, ut diximus l. 2. tract. 12. cap. 2. pag. 247, necessario vult quidquid vult quantum ad entitatem actus, non vero quantum ad ejus terminationem, seu habitudinem ad creaturas; *entitative* scilicet, non *connotative*; idque, tum quia Deus se ipso beatissimus, et perfectissimus est, nec ulla re extra se indiget; tum quia res extraneae non continent bonitatem infinitam, qua ipsum in sui amorem necessario rapiant; tum demum quia ex rerum procreatione nihil felicitatis, voluptatis, commodi, aut gloriae internae ei advenit. Nec quidquam probat paritas ex intellectu Divino ducta: infinita enim perfectione hic non polleret, nisi actu cognosceret quidquid cognosci potest, cujusmodi est quaevis possibilitas; cum e contrario ad infinitam voluntatis Divinae perfectionem nihil prorsus necesse sit omnium possibilium existentiam velle, sed tantum ea posse efficere, prout libuerit. Patet proinde disparitas.

Objic. 2.º Si Mundus initium habuisset, infinita ante illum fluxissent saecula, per quae Deus otiosus mansisset. Deum autem otiosum mansisse per infinita durationis spatia, parum digne de eo dicitur: Non ergo initium habuit, ideoque aeternus.

R. neg. sequ. maj.; 1.º enim sola ratione duce cognoscitur, quod *non potuit otiosus esse* (ut ait Steuchus l. 7. de perenni Philos. c. 7.), *cujus fuit aeterna ex Majestatis suae contemplatione beatitudo. Est enim cognitio, et contemplatio actio perfectissima. Hoc autem cum sit felicitas Divina, facile potuit aeterna Mundi molitione supersedere.* 2.º quia ex fide habetur, quod ex tota aeternitate Deus operatus est., et semper operatur generando Verbum, et spirando Spiritum Sanctum, ut dictum est l. de Trinitate. 3.º quia ipsum Mundum ab

aeterno molitus est, quatenus Divina voluntas, cujus vi, et energia Mundus factus est, fuit in eo ab aeterno; utque ait D. Aug. l. 12. De Civ. Dei c. 17., *una, eademque sempiterna, et immutabili voluntatè, res, quas condidit, et ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse coeperunt;* qua super re consulatur quod diximus l. 2. tr. 7. de immut. Dei, resp. ad 2. . Et sane, ut disserit Zacharias Episcopus Mytelenensis *l. de Mundi creat.*, nonne vero sensu Medicus mederi dicitur infirmo, dum studet super ipsius morbo, etsi interea infirmus non convalescat, quia nempe illius studii vi infirmus postea convalescit? Et Deum igitur ab aeterno operatum fuisse Mundi creationem, etsi Mundus ab aeterno non extiterit, dicendum est, quia semper in eo adfuit voluntas, vi cujus Mundus deinde extitit.

Objic. 3.º Deus ab aeterno vel fuit *actu* Opifex Mundi, vel tantum *potentia*. Hoc dici nequit, quin dicatur transiisse a *potentia* ad *actum*, dum Mundum fecit; quod ejus immutabilitas non patitur. Ergo *actu* ab aeterno opifex Mundi, qui proinde ab aeterno extitit.

R. neg. maj.; utrumque enim fuit sub diversa ratione, quoad se scilicet *actu*, relate ad Mundum *potentia*: 1.m, quia ejus voluntas, atque omnipotentiae operatio, quae ab ejus voluntate non distinguitur, et cujus vi, et energia Mundus esse coepit, ab aeterno in eo fuit: alterum, quia sicut Mundus non fuit ab aeterno, ita neque ab aeterno habuit Deus extrinsecam Creatoris denominationem, sed tunc solum, quum Mundus esse coepit. Hinc sequitur, quod quum Mundus esse coepit, non ideo Deus mutatus est, quia nempe non alio sensu a *potentia* ad *actum* transiit, quam quod Mundus, qui prius non extiterat, deinde extitit, quo relatio realis ad res creatas per realem Mundi existentiam completa fuit.

Objic. 4.º Vel potuit Deus Mundum ab aeterno condere, vel non. Hoc dici nequit, quin negetur ejus Omnipotentia: ergo alterum; ex quo sequitur, quod Mundus fuit ab aeterno, cum nulla sufficiens ratio occurrat, cur Mundum ab aeterno non fecerit, cum illum condere ab aeterno potuerit.

R. 1.º argumentum nimis probare; Deum nempe ab aeterno jam fecisse quidquid possibile est, ideoque nihil superesse amplius, quod faciat. 2.º neg. min., Deum

nempe potuisse Mundum condere ab aeterno; Deus enim nequit efficere, quod repugnat; utque ostendimus, repugnat, quod aliquid sit creatum, et simul aeternum. Quaerere autem, cur saltem Mundus alio tempore reali non extiterit, idem est ac quaerere, quare tempus reale non extiterit, antequam existeret tempus reale. Quod si quaestio fiat de tempore imaginario, illico enodatur, recurrendo ad liberrimam Dei voluntatem, qua Mundum condidit; *sicut enim* (ait D. Aug.) *quaecumque voluit, fecit, ita et quando voluit, fecit.* Cumque non potuerit ex ostensis Mundum ab aeterno condere; neque id voluerit, propterea quod velle nequit impossibilia; ideoque semper oporteat statuere aliquod tempus, quo illum condiderit: semper proinde redibit quaestio, cur alio tempore imaginario eumdem non fecerit. Praeclare idcirco hac super re Pererius l. 15. de princ. rer. c. 4. *Agentia, quae voluntarie, et libere operantur, plerumque ita agunt, tantum quia sic volunt; ut pictor pingit nunc, et non post, tantum, et non plus, interdum non aliam ob causam, nisi quia ita vult. Quocirca in his verum est illud, quod vulgo jactari solet: Stat pro ratione voluntas. Licet ceterum nihil Deus agat sine summa ratione.*

Objic. 5.° contra 2. partem. Deus ab aeterno habuit potentiam creandi Mundum; sicut et Mundus ab aeterno fuit habilis ad existendum. Quod si ita res se habet, nihil repugnat, quod Mundus creari potuerit ab aeterno: Falsum ergo, quod id repugnet.

R. dist. maj.; utrumque scilicet cum initio existendi; non vero absque existendi initio, ut ex ostensis patet.

Objic. 6.° Potuit Mundus a Deo creari ante omne temporis imaginarii momentum distributive sumptum. Quod cum ita sit, potuit quoque ab eo creari ante omne temporis imaginarii momentum collective sumptum; quo casu aeternus foret: Nihil ergo repugnat, quod creari potuerit ab aeterno.

R. neg. sequ. min.; nihil enim repugnat, quod Deus creare potuerit Mundum ante omne temporis imaginarii momentum distributive sumptum, quia id aliud non sonat, quam quod nullum in tempore imaginario assignari potest momentum, ante quod non potuerit Mundus a Deo effici. Utique tamen repugnat,

quod potuerit illum creare ante omne temporis imaginarii momentum collective sumptum, id enim expolaret Mundum existendi initio, quod natura rei creatae ex ostensis non patitur.

Objic. 7.º Et vero sensu dici potest creatum quod aliquando vel fuit nihil; vel fuisset nihil, si non fuisset creatum: et nihil vetat, quod per creationem intelligatur *productio entis per se non existentis*. Utroque autem posito, non amplius ingreditur in notionem creationis, quod ut aliquod dicatur creatum, fuerit aliquando nihil, habueritque existendi initium: Non ergo id in notionem creationis ingreditur; ex quo sequitur, quod utique Mundus creari potuerit ab aeterno.

R. neg. maj.; quoad 1. enim, quidnam per creatum, nisi quod cum rationem suae existentiae in sui ipsius essentia non habeat, ex liberrima Dei voluntate existit? Quod autem ex liberrima Dei voluntate existit, incoepit profecto aliquando existere; si enim semper extitisset, non ex liberrima Dei voluntate existere intelligeretur, sed per necessariam ab eo emanationem: quodque incoepit aliquando existere, fuit profecto, antequam coepisset existere, merum nihil: Nequit ergo in notionem creationis non ingredi, quod id, quod creatum dicitur, fuerit aliquando nihil. Accedit, quod id, quod creatum dicitur, vel semper extitit, vel non. Primum dici nequit; si enim semper extitisset, numquam fuisset productum, ideoque esset simul, et non esset creatum: Ergo alterum, idest aliquando non extitit; ex quo magis, magisque evidens est, quod nequit in notionem creationis non ingredi, etc.. Quoad 2., duplici etiam vitio allata creationis definitio laborat; 1.º enim recta non est definitio, quae latior est suo definito. Hujusmodi autem est allata creationis definitio; quia enim in creatis dum aliquod generatur, ens quoque producitur per se non existens, hinc ea tam creationi, quam generationi aeque convenit. 2.º quia ultima ejus verba otiose adjecta sunt, quis enim nescit, quod praeter Deum nihil prorsus aliquid per se existit?

Objic. 8.º Potest Mundus creatus in aeternum durare: Ergo et existere ab aeterno.

R. neg. cons.; potest namque Mundus creatus in aeternum durare, tum quia cum notione effectus creati non pugnat, diune, an brevi duret; tum quia, tametsi Deus possit creaturam omnem redigere in nihilum, non tamen tenetur illam in nihilum redigere. Existere au-

tem ab aeterno, idest absque principio non potest, quia id pugnat cum notione entis creati, ut ostendimus; quare et Deus nequit ullam creaturam producere ex nihilo, et simul absque principio existendi, quia ratio creationis postulat, quod ens creatum initium existendi habeat.

Prop. IV. Communis modo sententia docet, Mundum, non quidem unico instanti, sed sex dierum naturalium spatio perfectum fuisse.

Probatur. Et 1.° ex initio Geneseos, ubi singula Dei opera singulis diebus assignantur. Sicut autem nominibus Coeli, Terrae, Solis, plantarum, animalium, et hominis recte intelliguntur Coelum, Terra, Sol, etc., ita et nomine diei verus dies intelligendus est, cum litteraliter accipienda semper sint Scripturae verba, ubi sensus litteralis a veritate evidenter non abhorreat, et commode absque figurata locutione accipi possit: Absolute ergo dicendum, Mundum sex dierum naturalium spatio perfectum fuisse. 2.° ex lege de Sabbato observando, cujus hanc reddit Legislator Dominus rationem Ex. 2. *Sex enim diebus fecit Dominus Coelum, et Terram, et Mare, et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo; idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, et sanctificavit eum.* Nullius autem momenti talis esset ratio, si eodem temporis puncto Mundus creatus, et perfectus fuisset: Non ergo eodem temporis puncto, sed sex dierum naturalium spatio perfectus fuit. 3.° ex PP., quos inter eminent D. Basilius, et D. Ambrosius *in Hexameron.* Nec praetereundum, quod ipse D. Aug. *l. de catechizandis rudibus c.* 17. in eam clare descendit sententiam, quae sex Genesis dies, velut reales, defendit.

En autem momenta, quibus olim oppositum a nonnullis defendebatur: 1.° scilicet quod dicitur Gen. c. 11. *Istae sunt generationes Coeli, et Terrae, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus Coelum, et Terram, et virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, antequam germinaret.* Porro illa verba *in die* verum, propriumque diem significare, non tempus ex pluribus diebus conflatum, ex eo colligi videtur, quod, dum vox *dies* usurpatur ad significandum tempus indeterminatum, plurali numero effertur, ut Gen. 8. 22., et l. 4. Reg. 20. 1.: Utique ergo dici potest, genera-

tiones a Moyse enumeratas ad unum, eumdemque diem spectare, nec temporis spatium interfuisse inter diem primam, qua Deus creavit Coelum, et Terram, et diem tertiam, qua producta dicuntur germina, et ligna. 2.° ex Eccli. 8., ubi: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.* Cum autem universitas creaturarum satis exprimatur per verbum *omnia*, consequens videtur, vocem *simul* non de rebus accipiendam esse, sed de tempore: Et consequens igitur videtur, eodem tempore, seu instanti omnia creata fuisse; cumque creatio absolute sumpta pro quavis productione intelligi possit, Mundum proinde eodem tempore, seu instanti factum, et perfectum fuisse, consequens videtur. 3.° ex eo quod Solem Deus condidit quarta die. Ex luce autem Solis naturalis dies constituitur: Quomodo igitur tres priores dies vere dies naturales? Demum Dei Omnipotentiam magis commendat instantanea Mundi creatio, et perfectio, quam hujus perfectio sex dierum naturalium spatio.

R. tamen ad 1.m, quod prima die omnia creata fuere quantum ad materiam, et in rationibus seminalibus; sed subsequentibus diebus singula deinceps distincta fuere. Ad 2.m, omnia dici a Deo creata *simul*, idest aeque; quo sensu ait Regius Psaltes: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Ad 3.m, tres illos dies fuisse distinctos luce primigenia, quam Deus creavit prima die, splendorem suum diffundente, seque rursum contrahente, ut scribit D. Basilius l. cit.. Ad 4.m denique cum Bossuetio 2. p. Histor. Univer., voluisse Deum *crear l'Universo in sei giorni, per mostrare, ch' Egli non opera con necessità, o con impeto cieco, come l'hanno pensato molti filosofi. Il Sole getta tutto a un tratto, senza rattenersi, quanti ha raggi: ma Iddio, che opera con intelligenza, e con somma libertà, applica la sua virtù dove a lui piace, e quanto a lui piace: e siccome facendo il Mondo colla sua parola, mostra, non esservi cosa, che lo affatichi, così facendolo in più volte, fa vedere, ch' è il padrone di sua materia, di sua azione, di ogni sua impresa, e non ha, operando, altra regola, che la sua volontà, sempre da se medesima giusta.*

Prop. V. Vernum tempus illud fuit, quod primum homini illuxit in loco, ubi Deus illum creavit; quo idcirco tempore Mundum, dicendum est, habuisse initium. Ita probabilius.

Prob. Et 1.° ex illis Dei verbis Gen. 1., ubi: *Germinet Terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum.* Vernum autem tempus illud est, in quo terra herbam, et major saltem arborum pars fructus profert, aliis flores edentibus, ex quibus paullo post expectantur fructus: Et illud igitur dicendum est, fuisse, quod primum homini illuxit etc.

2.° Ex PP., ut D. Ambr. l. 1. Hexam. c. 4. *In hoc ergo principio mensium Coelum, et Terram fecit: quod inde Mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies.* D. Cyrillus catech. 14. *Aprili mense instanti jam ver est reliquum. . Hoc tempus est creationis Mundi; tunc enim dixit Deus: Producat terra herbam virentem.* Theodoretus in Exod. qu. 72. *Eodem tempore Deus creaturas condidit; cui rei fidem facit arborum germinatio. Incipiente enim vere prata florere solent, segetes semina concipiunt, arbores fructum emittunt.* Quod et alii.

3.° Eo tempore probabilius dicendum est, hominem conditum fuisse, quo reparatus idem fuit; quemadmodum et D. Aug. docuit *qq. ex Novo Test.* 54, et D. Ambr., ac D. Cyrill. *locis laud.*, et *serm.* 9. *De Pass. Dom.* D. Leo Magnus. Fuit autem homo reparatus, idest redemptus verno tempore: Et eodem igitur conditum fuisse, dicendum est.

4.° Universam naturam eo tempore probabilius dicendum est Deum condidisse, quo ipsa vim omnem suam, ac energiam explicat, et pulchrius, ac visui delectabilius fuisset Paradisi, et vicinorum locorum spectaculum. Id autem est verno tempore, tunc enim agrorum fertilitas, hortorum amaenitas, rerum omnium generatio, et conferta messis, herbarum, florum, et fructuum: Et verno igitur tempore universam Deum condidisse naturam, dicendum videtur.

Tandem verno tempore probabilius dicendum est, Mundi originem fuisse, si nec hyeme, nec aestate, nec autumno probabile videatur habuisse initium. Ita autem res se habet; nemo enim repertus est hactenus sensisse, quod hyeme initium habuerit. Æstate vero illum coepisse, existimarunt quidem Ægyptii; sed nemo vel Judaeorum, vel Christianorum iis adhaesit. Autumno demum creatum fuisse, docent Lyranus, Tostatus, Scali-

gerus, Usserius, Vallemontius, Nat. Alexander, aliique; sed et hoc minus verisimile videtur, tum perpensis, quae supra diximus; tum quia in hoc casu multae arbores, illae nempe, quae maturescunt vere, et aestate, aspectui primorum parentum se tamquam infructuosas, ac steriles obtulissent; tum quia principium anni fuisset, dum incipit dominari illuvies soli, Coeli squalor, nox longior, et atra, rerumque omnium interitus: Verno igitur tempore.

TRACTATUS II.

De Creatione Angelorum.

CAPUT I.

De Angelorum existentia, ac naturâ : nec non de tempore, ac loco, quo fuerunt creati : eorumque numero, ac differentia.

Praeclariora, quae in Mundi Opificio Deus condidit, Angeli fuerunt, et homo; Creator namque fuit, quemadmodum in fidei Symbolo profitemur, *visibilium*, et *invisibilium*. Et 1.° quoad Angelos, Angelus secundum vim nominis idem est, ac nuntius, quare D. Aug. in Ps. 102., *Spiritus* (ait) *Angeli sunt, cum vero mittuntur, fiunt Angeli, Angelus enim officii nomen est, non naturae. Quaeris nomen hujus naturae? Spiritus est. Quaeris officium? Angelus est.* Quibus similia habet quoque D.Greg. M., ita enim hom. 34. in Evang. *Angelorum vocabulum nomen est officii, non naturae. . Tunc solum sunt Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur.* Hinc Sacerdotes vocantur quoque Angeli ap. Malach. 2., quia nempe Sacerdotum quoque officium est Dei voluntatem hominibus nunciare, ac declarare.

Speciatim tamen definiuntur *substantia creata, omnis materiae expers, completa, et intellectualis.* Et quidem *substantia creata*; ut distinguantur a Deo. *Omnis materiae expers*; ut distinguantur simul ab homine, qui spiritu, et corpore constat. *Completa*; ut distinguantur quoque ab anima humana, quae est spiritualis quidem, sed incompleta, utpote respectum habens ad corpus. *Intellectualis* demum, ob vim intelligendi; in qua cum longe hominibus praestent, hinc vocantur quoque simpliciter *Intelligentiae*, ac *Daemones*, idest *scientes* : pro quibus caeterum Scriptura solet dumtaxat malos Angelos designare, ut Marci ult. *In nomine meo daemonia ejicient.* Distinguuntur ergo ex Scripturis 1.° in bonos, ac malos; non quod hi, ut ait Conc. Lat. IV., *a Deo creati fuerint mali, sed quia ipsi per se facti sunt mali.* De bonis namque dicitur Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*

mei. De malis vero ibid. c. 25. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum , qui paratus est Diabolo , et Angelis ejus.* Quibus similia proferemus de utrisque in hujus c. decursu. Item distinguuntur in novem ordines; ita enim Isaiae 6. habetur: *Seraphim stabant super illud , sex alae uni , et sex alae alteri.* Ezech. vero 10. *Cherubim autem stabant a dextris domus.* His autem additis septem aliis Angelorum ordinibus , quorum meminit Apostolus illis verbis ad Thess. c. 4. *Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, etc:* ad Rom. c. 8. *Certus sum , quia neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, etc:* et ad Coloss. c. 1. *Sive Throni , sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, etc:* his septem, inquam, enumeratis ab Apostolo Angelorum ordinibus additis Cherubim, et Seraphim ex Prophetis, novem esse Angelorum ordines , manifeste sequitur.

Hos quoque ordines in tres hierarchias dividi , creditur ex mirabili Patrum , et Theologorum post Auctorem de Coelesti hierarchia super hoc consensu ; in quarum prima dicuntur esse Seraphim , Cherubim, et Throni ; in secunda Dominationes , Virtutes , et Potestates ; in tertia Principatus , Archangeli , et Angeli, supremumque omnium hierarcham esse D. Michaelem , qui et Princeps dicitur in Scripturis Populi Israelitici , Custos Ecclesiae, Victor Diaboli, etc., censere videtur S. Mater Ecclesia. Hierarchiae autem nomine intelligitur *Sacer Principatus*; idest *quarumdam personarum ad Sacras functiones destinatarum collectio sub aliquo Principe*. Ordinis vero nomine *collectio personarum ejusdem muneris , et officii in eadem hierarchia.* Cumque in novem ordines, ac tres hierarchias distinguantur , potest quoque Angeli nomen latius , et strictius accipi. *Latius* , pro iis nempe cujuscumque ordinis , et hierarchiae ; ut Ps. 96. *Adorate eum omnes Angeli ejus* ; Marci 13. *De die autem illo , vel hora nemo scit , neque Angeli in Coelo* ; et alibi. *Strictius* , pro solis nempe Angelicis spiritibus , qui ad infimum ordinem pertinent ; quo sensu Scriptura eos sumit , quoties Angelos ab Archangelis , aliisque Beatorum Spirituum ordinibus distinguit.

An autem sint omnes ejusdem , vel diversae speciei, dissident TT. ; Thomistis ajentibus , singulos a singulis specie differre , immo non posse solo numero inter se distingui : aliis docentibus , non differre ab invicem spe-

cie, sed tantum dignitate, et officio: aliis demum, eos, qui sunt ejusdem ordinis, vel saltem ejusdem hierarchiae, esse etiam ejusdem speciei; qui e contrario diversi ordinis, vel saltem diversae hierarchiae sunt, specifice etiam differre.

Demum quamvis de Angelis passim mentio fiat in Scripturis, eorum nihilominus existentiam negarunt Sadducaei, de quibus ita Act. 23.: *Sadducaei dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*; ac etiamnum negant Anabaptistae: illis ajentibus, quod Scripturae textus, ubi sermo fit de Angelis, intelligendi sunt pro inspirationibus Divinis, quibus Deus suam voluntatem nobis declarat: his vero, quod textus, ubi adstruitur Angelorum custodia, vel Daemonum tentatio, de bonis, vel malis cogitationibus interpretari debemus. Quibus praemissis, sequentes statuimus propositiones.

Prop. I. Angeli existunt. Est de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis; legitur enim Gen. 19., venisse duos Angelos Sodomam, eduxisse inde Loth cum uxore, et filiabus ipsius, universamque regionem igne vastassse. Et c. 22., quod *Angelus Domini de Coelo clamavit, dicens: Abraham, etc.*. Et Exodi 23. *Ecce Ego mittam Angelum meum, qui praecedat te.. audi vocem ejus.* Et Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Et Lucae 1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo.* Et ep. 1. Petri c. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere.* Et ep. 2. c. 1. *Angelis peccantibus Deus non pepercit.* Haec autem nequeunt nisi de personis intelligi, quae Angeli vocentur: Hi ergo existunt.

2.° Ex Lat. IV., ubi definitum fuit, quod Deus *ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corpoream, Angelicam videlicet, et Mundanam, et deinde humanam, quasi communem ex spiritu, et corpore constitutam.*

3.° Ex PP., pro quibus satis sit D. Aug. l. c., ubi: *Angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus, et tenemus, nec inde dubitare fas nobis est.* Et D. Greg. M. l. c., ubi: *Angelos, et Archangelos pene omnes Sacri eloquii paginae testantur.*

4.° Ratione ex Energumenis, Magisque ducta, a quibus plura perpetrantur, quae nec Deo tribui possunt, utpote impia: nec animabus separatis, cum excedant naturales animae rationalis vires, ut corporum elevatio, prodigiosi eventus, locutio peregrini idiomatis, divina-

tiones, et id genus alia. Hinc autem sequitur, quod existere debeant Spiritus nostris animabus praestantiores, pro quibus Angelos intelligimus: Hi ergo existunt.

Nec adversatur, quod si Angeli existerent, non praetermisisset Moyses eorum creationem; idque magis, quia, ut dicitur, principem obtinent locum inter opera Dei, quorum creationem describit: Nullatenus autem eorum meminit, Mundi creationem narrans: Neque ergo eos dicendum est existere.

Respondetur enim 1.° quod cum Moyses solam rerum corporearum originem, et seriem describendam suscepisset, Angelorum creationem, qui sunt puri spiritus, silentio potuit praeterire. Ac 2.° etiam, quod illis verbis: *In principio creavit Deus Coelum, et Terram*, Angelorum quoque creationem comprehendisse, dici potest, sub Coeli, ac lucis nomine, quemadmodum D. Aug., D. Greg., aliique PP. interpretantur. Quibus 3.° accedit, quod si c. 1., et 2. Genesis expresse Angelorum non meminit, eorum tamen meminit tum in Genesis decursu, tum in aliis Pentateuchi libris, ut ex cit. locis patet.

Prop: II. Angeli sunt puri Spiritus, cujusvis scilicet corporis expertes. Est communis, ac theologice certa; non tamen de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis, ubi constanter Angeli vocantur absolute, et simpliciter Spiritus. Ita namque de bonis Angelis Ps. 103. *Qui facit Angelos suos Spiritus*. Et ad heb. 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus*. De malis vero Matth. 12. *Cum immundus Spiritus exierit ab homine*. Et ibid. *Vadit, et assumit septem alios Spiritus secum nequiores se*. Et ad Eph. 6. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed .. contra spiritualia nequitiae in Coelestibus*. Constanter autem non appellarentur absolute, et simpliciter Spiritus, nisi essent puri Spiritus, cujusvis scilicet corporis expertes: Puri ergo Spiritus. Nec praetermittendum ex Scripturis, quod tametsi Angelica corpora fingantur tenuissima, et minima, percipi tamen nequit, quomodo integra Daemoniorum legio, idest numero 6000., esse potuerint in uno obsessi corpore. Ita autem habetur Lucae 8.: Rursum ergo ex Scripturis puri Spiritus.

2.° Ex verbis Conc. Lat. supra relatis; ibi enim Angelica substantia distinguitur tum a Mundana, quae est prorsus corporea, tum ab humana, quae *ex corpo-*

re , et spiritu constituitur. Idem autem id dictu est , quodque Angelica substantia sit prorsus spiritualis , seu cujusvis corporis expers : Id genus igitur substantia : ac tantum quia relata Lat. verba vim definitionis non habent , sed explicationis eorum , quae Conc. definiendo praemiserat , scilicet Deum esse rerum omnium Creatorem : ad fidem proinde , quod propugnamus , non spectat, sed tantum temerarium modo esset , ac haeresi proximum contrarium docere.

3.º Ex PP. ; quorum etsi aliqui , ut D. Justinus *in Dial. cum Tryphone*, Clemens Alex. *l.* 8. *Stomat.* , D. Cyrill Alex. *l.* 9. *in Jo.* , aliique Angelis aliquod corpus attribuerint ; aliis per corpus intelligentibus ens reale , quo sensu Ap. ad Coloss. ait , Divinitatem in Christo habitare *corporaliter* , idest *vere* , *et realiter* ; aliis id asserentibus ambigue ; aliis opinative , quos inter ipse D. Aug. *ep.* 95. , qui tamen deinde *Enarr. in Ps.* 103. ait , Angelos esse *natura Spiritus* : iis tamen praeferendi sunt , qui certam tenuere sententiam , posteriorum consensu , et communi nunc probatam suffragio : ex quibus D. Ignat. *ep. ad Trallenses* Angelos vocat *Incorporeas naturas* : D. Greg. Nyss. *cont. Eunom. l.* 12. *Incorporeas creaturas* : D. Greg. Naz. *or.* 24. *Intelligibiles , et incorporeas substantias*: D. Dionys. *De Divin. Nomin. c.* 4. *Incorporales , intelligibiles , spiritualesque substantias omni materia carentes* : D. Jo. Dam. *l.* 2. *de fide c.* 3. *Substantias intelligentes , materiae , atque corporis experies.* Ac ita etiam alii.

4.º Ratione ; 1.º enim cum Deus produxerit res omnino corporales , hominemque ex spiritu , et corpore compositum , quis verisimile non dixerit, substantias quoque condidisse omnino incorporeas , et spirituales ? Per has autem Angeli a nobis intelliguntur : Sunt ergo Angeli omnino incorporei , et spirituales. 2.º quia Angelos esse praestantioris naturae, quam sunt animae humanae, sive adhuc corporibus conjunctae , sive ab iis separatae ; nemo est , qui neget. Porro hae corporibus solutae sunt pure spirituales , et incorporeae : Ergo et Angeli pure spirituales sunt , et omnino incorporei. 3.º Si Angeli constarent ex spiritu , et corpore , ejusdem naturae essent cum hominibus , ac revera homines ; nam crassum , vel subtile corpus habere , alimentis egere , vel non egere , mortalem , vel immortalem esse , accidens quoddam

est specificum in natura discrimen inducere non valens, ut patet exemplo hominis ante vel post futuram resurrectionem. Est autem citra omne dubium, homines non esse, sed diversae a nobis naturae: Cujusvis ergo corporis expertes, seu prorsus spirituales, et incorporei dicendi sunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° illud Gen. 6: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*; ubi pro *filiis Dei* vertunt 70. Interpretes *Angelos Dei*. Mulieres autem concupiscere, iisque copulari non est, nisi corpora habentium: His ergo Angelos pollere, dicendum est.

R. neg. maj., quod nempe illic pro filiis Dei Angeli intelligi possint; 1.° quia tum hebraicus textus, tum Vulgata nostra, tum emendatiores versiones legunt *filii Dei*. 2.° quia intelligi nequeunt nec Angeli Sancti, quia hi, ut ait Christus Luc. 20., *neque nubunt*, *neque nubentur*; nec Daemones, quia hi numquam in Scripturis vocantur *filii Dei*, sed *inimici*, *et adversarii*. 3.° quia pro filiis Dei in relato Genesis loco intelligendi sunt ii, quorum peccata Diluvii causa fuere, ut ex contextu patet. Hujus autem causa fuerunt, non Angelorum, sed hominum peccata. 4.° quia et illi, qui Angelos putant corpora habere, fatentur, Angelicum Corpus non esse ad generationem idoneum. Quibus positis, dicimus cum communi, pro filiis Dei intelligendos illic esse vel filios Seth, et Enoch, qui taliter dicebantur a pietate paterna; vel homines statura proceros, juxta Scripturae consuetudinem, quae res celsissimas id genus phrasi distinguit, ut *cedros Dei*, *montes Dei*; vel filios magnatum, et Principum, juxta hebraeum *Elohim*, quod nedum Deo, sed etiam Principibus, et Judicibus Scriptura tribuit Exodi 7., et Ps. 81.

Objic. 2.° quod in generali Synodo Nicaena II. act. 5. dictum fuit; Angelos pingendos esse, *quoniam circumscripti sunt*, *et hominum specie multis apparuerunt*. Cui accedit, approbasse etiam Synodum Joannis Thessalonicensis Dialogum, in quo negabatur, Angelos esse incorporeos.

R. approbasse quidem Synodum, Angelos pingen-

dos esse, *quoniam circumscripti sunt, et hominum specie multis apparuerunt*: non tamen dixisse, quod proprio corpore circumscribantur, ac in propriis corporibus apparuerint, sed tantum circumscribi, et in humana specie, assumptis scilicet corporibus, apparuisse; nec Joannis Thess. sententiam approbasse, sed tantum acclamasse Tharasio Ep. Constantinop. referenti illius sententiam de pingendis Angelis, quia sunt certo loco definiti, et in humana specie multis apparuerunt. Utrumque autem verum est. Et quidem, quod in sensibili specie multis apparuerint, passim testantur Scripturae; nam Daemon sub serpentis imagine Evam decepit: tres Angeli in humana specie Abrahae apparuerunt: duo alii Sodomam, tamquam peregrini, petierunt: Raphael Tobiae eunti in Rages ducem, comitemque se praebuit: Gabriel ad Mariam Virginem ingressus Incarnationis mysterium ipsi nuntiavit, aliasque etiam Angelorum apparitiones et Scripturae commemorant, et certissimae narrant historiae: quas non fuisse veras, sed tantum phantasticas, *pugnat* (ut ait Estius in 2. Sent. D. 8. §. 6.) *cum ipsis Scripturis testantibus, Angelos ab hominibus visos, et contrectatos fuisse corporaliter, etiam usque ad pedum lotionem: quae omnia ad solam imaginationem referri nulla ratione possunt.*

Object. 3.° Cruciantur Daemones igne corporeo, ut nemini dubium ex infra dicendis; fugantur sensibili sonitu, et fumigationibus, ut constat de felle piscis apud Tob. c. 6., et 8., et de cithara Davidis l. 1. Reg. c. 16: ; alliciuntur demum cibis, nidore, suffimentis, etc. Corporibus ergo constare, consequens est.

R. neg. cons.; quomodo enim Daemones, tametsi cujusvis corporis expertes, torqueri possint igne corporeo, infra explicabitur. Fugantur autem rebus sensibilibus vel Divina virtute, vel quia istiusmodi res immutant corporalem dispositionem, ratione cujus homines vexant. Allici demum cibis, etc., exponit D. Aug. *l.* 21. *de Civ. Dei c.* 8., non ut *animalia*, sed ut *spiritus signis*; in quantum nempe haec iis exhibentur in signum Divini honoris, quem cupide affectant.

Prop. III. Angeli et in perpetuum sunt extituri, nullique interitui subjacebunt umquam; et natura sua dicendi sunt immortales. Prima pars est de fide. Altera tum theologice, tum philosophice certa.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex *Luc*: 20., ubi nobis promittitur, aequales bonis Angelis futuros, cum vitam possidebimus aeternam: *Illi vero, qui digni habebuntur saeculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent.. neque ultra mori poterunt, aequales enim Angelis sunt.* Reprobis vero, ut habetur *Matth.* 25., dicturus est Supremus Judex in finali judicio: *Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus.* Et in *Judae ep.* dicitur, Angelos, *qui non servaverunt suum principatum, esse vinculis aeternis sub caligine reservatos.* Seu boni igitur, seu mali Angeli numquam desinent, sed in aeternum vivent.

2.° Ex epistola, quae lecta est in VI. Synodo *act.* 11., approbata vero a PP. ejusdem Synodi *act.* 13., in qua tam Angelos, quam animas hominum incorruptibiles, et immortales esse, dicitur.

3.° Ex Later. V. sub Leone X. *sess.* 8., ubi definitum fuit, animam rationalem, quia pure spiritualis est, esse incorruptibilem, et immortalem. Et Angeli autem sunt substantiae spirituales, immo conditionis longe perfectioris, quam sit ipsa anima rationalis: A fortiori igitur incorruptibiles, et immortales dicendi sunt.

Prob. 2. pars; 1.° enim natura immortale dicitur, quod nec a viribus omnibus entium creatorum existentia, ac vita expoliari potest. Ejusmodi autem sunt Angeli; nequeunt enim existentia expoliari a viribus entium creatorum, quia, cum sint puri Spiritus, nequeunt perire, nisi per annihilationem, ad quod creatorum entium vires non pertingere, evidens est. Neque etiam vita, necesse enim foret ad hoc, ut cogitandi vis vel omnino iis tolleretur, vel ab omni saltem actione impediretur; quorum neutrum ab ulla vi entis creati praestari posse, est quoque evidens. Patet ergo propositum.

2.° Quia nihil corrumpitur, nisi vel ob separationem formae a materia, vel ob partium dissolutionem, vel ob ejus qualitatum pugnam. Substantia autem omnino spiritualis, quales sunt Angeli, nec componitur ex materia, et forma; nec habet partes, quae dissolvantur; nec habet aliquid sibi contrarium: Suapte igitur natura incorruptibiles, ideoque immortales dicendi sunt.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod ait Ap. 1. ad Tim. 6. *Deus solus habet immortalitatem* : Nemo ergo alius, nec proinde Angeli.

R., sensum esse, quod Deus solus essentia sua est immortalis, cum caetera indigeant continuo, et immediato ejus influxu, ut conserventur, utpote entia semper aeque contingentia, quae rationem suae existentiae in sui ipsius essentia non habent.

Objic. 2.° D. Amb. l. 3. de fide ad Gratian. c. 2. *Neque Angelus immortalis est naturaliter, cujus immortalitas in voluntate est Creatoris.* Et Damasc. l. 2. c. 3. *Immortalis est Angelus, non natura, sed gratia, nam quidquid initium habuit, et desinere suapte natura potest.* Quid clarius?

R. quod Angeli, sicut et animae rationales ab iis dicuntur, non natura, sed gratia immortales, quia tales non sunt vi essentiae, et a se, sed egent generali Dei dono, et influxu, perpetua nempe ejus conservatrice manu, sine qua in nihilum, ex quo formati sunt, relaberentur. Hac tamen posita, conservationis nempe exigentia, cum eos *natura* spirituales dicant, hoc ipso etiam *natura* immortales fatentur, siquidem quod pure spirituale est, omni prorsus corruptionis, et destructionis principio caret.

Objic. 3.° quod est alicui connaturale, et intrinsecum, secum infert repugnantiam ad oppositum. Angeli autem repugnantiam non habent ad non existendum, et vivendum : Non igitur eorum existentia, et vita iisdem connaturalis, et intrinseca est dicenda.

R. dist. maj.; quod nempe quidquid alicui connaturale est, et intrinsecum, secum infert repugnantiam ad oppositum, si ratio habeatur ad vires entium creatorum, non vero si habeatur ratio ad absolutam, et extraordinariam ipsius Dei potentiam. Hac porro tantum Angeli perire, ac interire possent.

Prob. IV. Quoad tempus, probabilior sententia docet, nec ante, nec post res visibiles Angelos creatos fuisse : quoad locum vero, creatos fuisse in Coelo, quod est Beatorum sedes.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Script.; quod enim creati non fuerint ante res visibiles, satis colligi videtur ex il-

lis verbis Geneseos : *In principio creavit Deus Coelum, et Terram*, idem namque dictu est, quod primum omnium creavit Deus Coelum, et Terram, quodque Angeli creati non fuerint ante Coelum, et Terram. In quae idcirco verba ita D. Aug. : *In principio Deus fecisse dicitur, ut nihil ante fecisse intelligatur.* Quod vero nec etiam creati fuerint post res visibiles, colligitur ex illis Exodi verbis c. 20. *Sex diebus creavit Deus Coelum, et Terram, et Mare, et omnia, quae in eis sunt*; si enim sex dierum spatio creavit Deus omnia, quae Coeli, et Terrae ambitu continentur, dicendum quoque est, Angelos nec ante, nec post res visibiles creatos fuisse, sed simul cum ipsis rebus visibilibus. 2.º ex verbis Conc: Lat. supra relatis.

Diximus tamen, quod ita docet probabilior sententia; nam verba Genesis non incongrue accipi possunt de principio durationis rerum corporalium, quarum narrationem Moyses instituit, ita ut sensus sit, nullam corporalem creaturam ante Coelum, Terramque extitisse; idemque esse potest sensus verborum Exodi, quae exponi possunt de rebus sensibilibus, quae sunt quidem omnes sex dierum spatio productae. Verba autem Later. duo tantum ostendunt : 1. Angelos non esse aeternos, seu semper extitisse, sed productos fuisse ex non extantibus, ac durationis suae habuisse principium. 2. tam spiritualem, quam corpoream creaturam Deum *simul*, idest *pariter* condidisse; contra Manichaeorum, et Albigensium haeresim scilicet; quod res corporeae, non a Deo bono, sed a Deo malo fuerant productae, et quam Concilium damnare in animo habuit. Hinc D. Th., qui post Conc. illud floruit, ita ait 1. p. qu. 61. art. 3. *Non est igitur probabile, ut Deus, cujus perfecta sunt opera, creaturam Angelicam seorsum ante alias creaturas creaverit; quamvis contrarium non sit reputandum erroneum, praecipue propter sententiam Greg. Nazianzeni, etc.* Quod D. Th. judicium probat quoque prae caeteris Petavius *l.* 1. *de Ang. c.* 15.

Prob. 2.ª pars ex illis Christi verbis Luc. 10. *Videbam Satanam, sicut fulgur de Coelo cadentem.* Nec non ex Apoc. 12. *Factum est praelium magnum in Coelo. Michael, et Angeli ejus praeliabantur cum dracone:* Haec autem de summo Coelo intelligenda esse, ex eo probat D. Th. qu. 61. a. 4., quod cum Angeli sint

substantiae corporibus omnibus superiores, decuit, ut in supremo corporali loco, cujusmodi summum Coelum est, producerentur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° illud Job. 38. *Cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei*, quae Jobi verba 70. Interpretes in haec vertunt: *Quando factae sunt simul sidera, laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei*. Si autem Angeli laudabant Creatorem in molitione corporalis Mundi, necesse est, ut ante Mundi primordia producerentur: Ante haec igitur productos fuisse, dicendum est.

R., quod admissa quoque versione 70. Interp., dicendum est, Angelos, qui in sapientia conditi sunt, potuisse in priori suae creationis momento Deum laudare. Cui accedit, quod cum creati a nobis dicantur prima die, et Astra producta sint die quarta, mirum non est, si quando sidera facta sunt, Deum laudibus prosequebantur.

Objic. 2.° quod de Behemoth, per quem Daemon a pluribus accipitur, dicitur Jobi 40.: *Ipse est principium viarum Domini*. Haec autem innuere videntur, Angelos creatos fuisse ante Mundum visibilem: Ita igitur.

R. 1.°, quod per Behemot ibi significatur elephas, qui quantumvis ferus, mansuescit, nec rapto vivit, sed hominibus inserviens pascitur herba; ad cujus exemplum Deus hominem hortatur ad mansuetudinem, et vivendum laboribus. Dicitur vero *principium viarum Domini*, quia maximum inter terrestria animalia; nam quae praecipua sunt in genere suo, appellantur emphasi hebraica *initia*, et *capita*. 2.° quod si Jobi verba ad Daemonem referantur, recte etiam hic dicitur, *initium viarum Domini*, utpote spectans ad lucem prima die creatam.

Objic. 3.° contra 2. partem illud Is. 14., ubi Angelus peccans sic loquens inducitur: *In Coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*. His autem verbis supponitur, eum non fuisse in summo Coelo, quandoquidem in illud ascendere voluit: Non ergo in Coelo, quod est BB. sedes, creati Angeli fuere.

R. Haec verba, quae Satanae vulgo tribuuntur, ad litteram de Rege Babylonis esse intelligenda. Quod si quis de Diabolo velit illa exponere, nomine Coeli intelligenda est celsitudo, et Majestas Dei, quam Satan expetebat; unde subditur: *Similis ero Altissimo.*

Prop. V. Ingens, ac supra humanum captum est Angelorum numerus.

Prob. Et 1.° ex Script.; ut ex Job. 25., ubi: *Numquid est numerus militum ejus?* Horum autem militum nomine Angelos intelligi, ipse D. Lucas indicat c. 2. illis verbis: *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis*: Numerus ergo Angelorum adeo ingens est, ut pene numerari nequeat. Nec non ex Dan. 7., ubi: *Millia millium ministrabant ei; et decies millies centena millia assistebant ei.* His autem significari ingentissimam esse Angelorum multitudinem, nemo est, qui non videat.

2.° Ex PP.; ita enim D. Greg. M. l. 17. Moral. c. 13. *Supernorum civium numerus infinitus, et definitus exprimitur, ut qui Deo est numerabilis, esse hominibus innumerabilis demonstretur.* Ac si dicat: Angelorum numerus adeo ingens est, ut quamvis absolute infinitus dici nequeat, recte tamen infinitus dici potest relate ad nos, ut qui eorum numerum comprehendere non valemus. Addit D. Th. q. 1, a. 3., non tantum homines, sed etiam singulas res corporeas ab Angelorum multitudine superari: *Quia* (inquit) *quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in majori excessu sunt creata a Deo.*

3.° Rationibus theologicis; quarum prima ducitur ex parabola boni Pastoris, quam Christus proponit Lucae 15., qui relictis nonaginta novem ovibus, ad quaerendam ovem deperditam se contulit. Ovem autem illam humanam esse naturam peccato Adae deperditam, nonaginta novem vero relictas Angelos esse, ex contextu Evangelii patet; et ita insuper exponunt, praeter D. Ambr. l. 7. in c. 15. Lucae, D. Hilarius in c. 18. Matth. n. 5., ubi: *Ovis una homo intelligendus est, et sub homine uno universitas sentienda est. Sed in unius Adae errore omne humanum genus aberravit: ergo nonaginta novem non errantes multitudo Angelorum coelestium opinanda est, quibus in Coelo est laetitia, et cura salutis humanae.* Similiter quoque D. Cyril. Hieros. ca-

tech. 15. , ubi : *Ingens quidem multitudo hominum , adhuc tamen parva , plures namque Angeli. Hi sunt nonaginta novem oves illae , cum una tantum sit humanum genus.* 2.a ducitur ex eo quod decet summum , et potentissimum Imperantem copiosam habere familiam, et exercitum ; ut enim dicitur Prov. 19. *In multitudine populi dignitas Regis , et in paucitate plebis ignominia Principis.* Deus autem Rex Regum est , et Dominus Dominantium , quemadmodum vocatur Apoc. 19. : Decet igitur plurimos eum habere sibi assistentes , ac militantes Angelos.

Prop. VI. Certum est , posse dari Angelos tam numero , quam specie differentes. Angelos tamen , praesertim diversi ordinis , solo numero , vel etiam specie differre , hinc inde probabiliter disputatur.

Prob 1. pars. ; quod enim sint possibiles Angeli solo numero distincti , argumento sunt 1.° , quia illud, de quo Patres dubitant , non debet credi impossibile ; iis namque injuriosum dictu esset , quod aperte pugnantia in dubium revocaverint. Dari autem Angelos solo numero differentes , et D. Aug. in dubium vocat tum *l. cont. Priscill. c.* 10. , tum *in Enchir. c.* 58. , et D. Damasc. *l.* 11. *c.* 2. 2.° quia si Deus facit , spiritus, quales sunt animae humanae separatae , sine corpore existere , potest quoque spiritus producere , qui non sint natura sua formae corporum , et tamen eamdem habeant spiritualem substantiam , ejusdemque speciei sint. Hujusmodi autem concipiuntur Angeli solo numero distincti : Dari ergo posse Angelos , qui sint ejusdem speciei , ac solo numero distinguantur , consequens est. 3.° quia utique possunt concipi plures Angeli , qui conveniant in iisdem proprietatibus essentialibus. Angeli autem , qui conveniant in iisdem proprietatibus essentialibus , solo numero differunt ; quae enim differunt plus quam numero , idest genere , vel specie , in iisdem proprietatibus essentialibus non conveniunt : Possunt ergo concipi plures Angeli , qui solo numero differant : cumque id , quod potest concipi , sit possibile , hinc possibiles esse Angelos solo numero differentes , consequens est.

Quod vero sint possibiles Angeli , qui etiam specie differant , ex eo patet , quod cum Deus sit infinitus quidam spiritus, infinitae etiam possunt sub eo dari Spi-

*

rituum species. Idem autem dictu est, quod infinitae possunt sub Deo dari Spirituum species, quodque dari possint plures purorum spirituum species ipsi similes, cujusmodi sunt Angeli: Dari ergo posse Angelos, qui etiam specie differant, est dicendum.

Prob. 2. pars. Et 1.° Angelos, tametsi diversi ordinis, solo numero differre, probabiliter arguitur 1.° ex eo quod, ut advertit Petavius, in rebus, quae a sensibus remotae sunt, magis auctoritate duci, ac moveri debemus, quam ratione, quae nulla satis firma potest suppetere. Angelos autem omnes ejusdem naturae esse, nec discrepare ab invicem, nisi gradu, ordine, ac dignitate, major PP. numerus nos docet: Non improbabiliter ergo dicitur, solo numero differre. 2.° ex eo quod in Angelis plures species minime convenire videntur; quandoquidem cur nam fuerunt creati? Ad laudem Conditoris sui, ad praesidium Orbis Terrarum, ad ministeria obeunda? Haec autem solam postulant differentiam ordinis, et dignitatis, non speciei: Non ergo hac, sed solo numero differre, probabiliter dicitur.

Et probabiliter tamen dicitur, Angelos quidem ejusdem ordinis esse etiam ejusdem speciei; diversi vero ordinis diversae etiam speciei esse. Primum, quia inter Angelos saltem ejusdem ordinis adest profecto perfectissima societas. Singulorum autem differentia in natura, et specie repugnare videtur huic societati, quae nonnisi ex similibus coalescit, juxta illud Eccli. 27. *Volatilia ad sibi similia conveniunt.* 2.° quia, ut nos docet Ap. ad Rom. c. 1. *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*; quare ex visibilibus recte argumentari possumus ad invisibilia. In Mundo autem visibili nulla species existit, quae sub se non complectatur plura individua, idest plura subjecta solo numero differentia: Et igitur in Mundo invisibili nulla Angelorum species existit, quae sub se non complectatur plures Angelos solo numero differentes. Alterum vero 1.° quia ordinum varietas probabiliter videtur petenda ex speciei varietate; si enim oriretur, ut in humanis, ex varietate officiorum, esset quoque, ut in humanis, variabilis. Est autem invariabilis, Seraphim namque transire nequeunt in Cherubim, et sic de reliquis: Angelos ergo diversi ordinis diversae etiam speciei esse, videtur dicendum. 2.° quia, ut supra monuimus ex Ap., recte argumen-

tamur ex visibilibus ad invisibilia. Adest autem in Mundo visibili tanta specierum varietas: Et igitur in Mundo invisibili, inter Angelos scilicet saltem diversi ordinis, hanc specierum varietatem adesse, consequens est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Quae differunt forma, differunt specie, forma enim est ipsa essentia, sive ut Scholastici inquiunt, constitutivum rei. Cum autem Angeli sint natura cujusvis materiae expertes, hinc natura inter se forma differunt, nam unusquisque est sui ipsius forma: Natura ergo inter se specie differunt; ex quo sequitur, quod natura nequeunt inter se solo numero differre.

R. dist. maj.; quod nempe quae differunt forma, idest per rationes *formales*, seu per ea, quae Scholastici appellare solent *praedicata essentialia*, differunt quidem specie; non vero quae tantum differunt ratione individuationis, qualis est, ut dicimus, Angeli ab Angelo ejusdem ordinis discrepantia.

Objic. 2.° omnis forma separata a materia habet totam suae speciei perfectionem; ut albedo, quae concipiatur separata ab omni materiali subjecto; etc. Forma autem cujusvis Angeli procul est ab omni materia: Habet ergo totam suae speciei perfectionem; ex quo sequitur, quod cum locum non relinquat alteri formae identicae, nemo Angelorum ejusdem formae, seu speciei cum altero esse potest.

R. dist. maj.; quod nempe omnis forma separata a materia totam habet *intensive* suae speciei perfectionem, non vero *extensive*. Primum quidem, quia cum sit separata ab omni subjecto materiali, omnis proinde ejus perfectio eminere debet, cum nequeat a materia vel absorberi, vel obscurari. At non alterum; quia enim procul a materia, ideone locum non relinquet alteri subjecto, quod sit ejusdem formae?

Objic. 3.° Angelos omnes specie inter se differre, docent et D. Dionys. *de Coel. hierarch.* c. 5., ubi: *Enuntiant sanctorum voluminum traditiones, superiores substantias esse graduum inter se celsitudine differentes.* Et D. Hieron. *l.* 2. *cont. Jovin. c.* 15, ubi: *Inter in-*

visibiles creaturas multiplex est; et infinita diversitas. Et D. Aug. in *Enchir. c.* 29. et D. Anselm. *l.* 2. *Cur Deus homo*,

R. neg. cons.; Patrum enim quoad hoc concors non est sententia; immo, tametsi diversi ordinis, solo tamen numero differre, major PP. numerus docet, ut diximus, et scribit prae aliis Laur. Berti *l.* 10. *de Theol. Disc. c.* 4. *prop.* 2,

CAPUT II.

De facultatibus Angelicis. Et 1.° *de eorum potentia motrice.*

Intelligitur per hanc *virtus, qua Angelus et seipsum de loco in locum transfert, et substantias a se distinctas movere potest.* Qua super re declarandum proinde est 1., an Angeli vere sint in loco, et per quod in loco constituuntur? 2., an se, et alia a se distincta localiter movere possint? 3., ad quae se extendat haec eorum potentia? Quare sit

Prop. I. Angeli vere sunt in loco; ac in eo constituuntur per praesentiam propriae substantiae indistantis a loco.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Scripturis, tum supra allatis, ubi dicitur, creatos fuisse in Coelo; tum ex iis, in quibus de bonis Angelis dicitur Marci 13. *De die illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Coelo.* Et Lucae 2. *Discesserunt ab eis Angeli in Coelum.* Et Matth. 28. *Angelus Domini descendit de Coelo.* De malis vero 2. Pet. c. 2. *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Et Apoc. 12., quod *locus eorum non est amplius inventus in Coelo.* Quae profecto clariora sunt, quam ut explicatione egeant.

2.° Ex duplici ratione, quarum primam affert Theodoretus *qu.* 3. *in Gen*, quod nempe si Divinitas non est in loco, sed ubique, quia est infinita; dicendum profecto est, quod substantia, quae finita est, non existit ubique, sed in loco. Altera vero est, quia quidquid non existit in loco, nullibi existit. Sed quod nullibi existit, realiter non existit, existens quippe substantia alicubi profecto reperiri debet: Quidquid ergo existit vere

est in loco; ex quo sequitur, quod cum Angeli existant, vere etiam in loco esse, dicendum est. Qua super re observandum tamen est cum D. Th. q. 52. art. 1., Angelos non esse in loco ad instar corporum, quorum partes partibus loci respondent, quodque dicitur esse in loco *circumscriptive*: sed modo, qui proprius est substantiarum spiritualium, et dicitur esse in loco *definitive*, ita nempe, ut verum sit, illic, non alibi esse.

Prob. 2. pars ex eo quod vel constituuntur praesentes in loco per substantiam, vel per operationem. At non per operationem, ut Thomistae inquiunt; 1.° quia operatio in loco est quid consequens praesentiam in loco, primum namque percipio, Angelum esse loco praesentem; proximumque, deinde in loco operari; primum Gabrielem ingressum ad Virginem, quam eam allocutum; primum Angelum accessisse ad Christum, quam ei ministrasse. Quod autem aliquid constituit, debet esse quid antecedens relate ad id, quod constituitur. 2.° quia potest concipi Angelus praesens in aliquo loco, quin ibi operetur. Quod autem est alicujus rei constitutivum necessario ingreditur in illius rei conceptum: Cum ergo non constituantur praesentes in loco per operationem, praesentes in eo constitui per substantiam, est dicendum.

Nec facessit contra 1.m partem, quod quidquid est in loco, nedum correspondere debet variis loci partibus, quem occupat, sed et iis correspondere non potest, nisi per partes proprias, quarum una uni loci parti respondeat, altera alteri, etc. Angelus autem, utpote spiritus, est expers partium: Non ergo dici potest in loco. Respondetur enim dist. maj.; iis nempe correspondere non posse, nisi per partes proprias aut reales, aut virtuales; non vero, si sit spiritus, per partes reales, easque a se invicem actu distinctas.

Neque etiam facessit contra 2.m partem, quod si Angeli fierent in loco praesentes per substantiam, vel hac occuparent divisibilem, vel indivisibilem spatii partem. At non primum, cum sint substantiae simplices. Non alterum, cum nulla sit in spatio pars indivisibilis, quippe quod spatium est in infinitum divisibile: Non ergo in loco constituuntur per praesentiam propriae substantiae indistantis a loco. Respondetur enim neg. sequ. maj.; in loco enim ita existere, ut locus, in quo existi-

tur, occupetur, proprium est entium solidorum, seu materialium, expellentium ob soliditatis vim omne aliud solidum ab eodem loco. Et sane quidnam occupare locum, nisi ita in eo existere, ut ab eodem loco omne aliud solidum expellatur? Id tamen Angelis, qui sunt puri spiritus, non convenit, quare, ut diximus, in loco existunt illum definiendo, non occupando.

Prop. II. Angeli tum se, tum alia localiter movendi facultate pollent.

Prob. 1. pars 1.º ex iis Scripturae locis, quae hic recensere superfluum ducimus, in quibus Angeli, sive boni, sive mali, dicuntur ire, venire, ingredi, exire, discedere, ascendere, descendere. Ac 2.º etiam duplici ratione; quarum prima est supra allata, eamque affert quoque D. Ambr *l. 1. de Spiritu S. c.* 10., ubi ait, Spiritum Sanctum non moveri, quia est infinitus, et ubique existit; alios tamen Spiritus moveri de loco in locum, quia sunt finiti. Altera vero est, quia nulla assignari potest causa, quae Angelos certo cuidam loco adstrictos detineat; quaenam enim haec esset? Non ipsius Angeli natura, utpote quae nullum ex se exigit locum, et ad quemlibet concipitur indifferens. Non Dei voluntas, de tali quippe voluntate nulla prorsus probatio afferri potest. Non tandem incapacitas ad motum, cum Angelus, utpote spiritus, sit actuosus.

Prob. 2. pars; localiter enim movere posse res quoque alias a se, constat quoad res corporales ex c. 14. Exodi, ubi dicitur, Angelum, qui in columna nubis per Mare rubrum Israelitas eduxit, tonitrua, et fulmina in Pharaonis exercitum ejaculasse, et rotas curruum subvertisse. Et Dan. 14. dicitur, Angelum transtulisse Habacuc Prophetam e Judaea in Babylonem; et Act. 8. transtulisse Diaconum Philippum e Gaza in Azotum. Quoad substantias spirituales vero, modo tamen eorum naturali perfectioni subsint, constat ex c. 8. Tob., ubi dicitur, Raphaelem Archangelum apprehendisse Daemonem Asmodaeum, eumque relegasse in deserto superioris Ægypti. Et ex c. 16. Lucae, ubi dicitur, animam Lazari in sinum Abrahae delatam fuisse ab Angelis.

Diximus *localiter*; motum enim, quo et se, et alia movere possunt, citissimum quidem esse, ex eo patet, quod eos nec ulla gravat moles, nec ullus obex moratur. Quare Psaltes Regius vento, et igni eos comparat

illis verbis: *Qui facit Angelos suos spiritus, et Ministros suos ignem urentem.* Instantaneum tamen non esse, nec impertransito medio, ex eo ostenditur, quod ea concipitur motus natura, ut sit essentialiter successivus ratione tum temporis, tum spatii. Quod cum ita sit, ratione temporis tria omnis motus necessario exigit instantia; et ratione spatii tres quoque necessario exigit spatii partes; terminum nempe *a quo* se movere incipit substantia, terminum *ad quem* pervenit, et demum spatium, per quod fit transitus a termino *a quo* ad terminum *ad quem*: Motum igitur, quo Angeli et se, et alia movere possunt, citissimum quidem esse, non tamen instantaneum, et impertransito medio, consequens est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Motus intelligitur produci per impetum physicum, mutuamque moventis, et moti impenetrabilitatem. Spiritus autem, quales sunt Angeli, penetrabilis est, nullamque aliam habere intelligitur actionem, praeter volitionem, quae sane ad motum nihil praestare potest: Neque ergo potest localiter corpora movere; qua idcirco facultate Angelos carere, est dicendum.

R. neg. cons.; ex eo enim, quod non concipiatur connexio inter volitionem spiritus, et motum corporis, non inde sequitur, hanc connexionem non esse; nonne enim spiritus est Deus, et tamen voluntatis suae imperio omnia movet? Non ergo impetus, et impenetrabilitas essentialiter praerequiruntur motui. Quare, si mutua moventis, et moti impenetrabilitas essentialiter non exigitur ad motum, et si volitio spiritus utique connexionem habet cum motu corporis; nihil prohibet, quominus Angeli voluntatis imperio possint corpora movere.

Objic. 2.° Corpus movere idem est, ac illud in diversis successive locis conservare. Cum autem conservatio sit continuata creatio, nec creandi facultas Angelis tribui possit, quomodonam potest illis tribui facultas corpora movendi? Non ergo haec illis tribuenda est.

R. neg maj.; cum enim motus sit successiva corporis in variis locis praesentia, hinc corpus movere non est illud conservare in diversis successive locis, sed in his illud praesens constituere. Equidem, ut corpus moveatur,

necessaria est illius conservatio, non enim moveri potest corpus, nisi existat; alius tamen est conservationis, alius motus terminus: quia enim conservatio est continuata creatio, immo ipsa volitio creatrix perseverans, hinc actio conservatrix eumdem habet terminum, ac creatio, idest substantiae productionem. Terminus autem motus non est substantiae productio; sed modificationis cujusdam, quae substantiae accidentaliter advenit, et quae a Deo non conservatur, nisi quatenus substantiae inhaeret: unde si per impossibile existere posset motus separatus a corpore, volitio, qua Deus conservaret corpus, nihil ad conservationem motus conferret.

Prop. III. Incertum prorsus est, ad quae se extendat motrix Angelorum potentia, nisi tantum, quod non extenditur ad veri nominis miracula patranda.

Prob. 1. pars 1.° ex D. Aug. l. 3. de Trin. c. 9.: *Quid possint Angeli per naturam, nec possint per prohibitionem, et quid per ipsius naturae suae conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, immo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat, dicens: Alii dijudicatio spirituum.* 2.° quia quidquid stupendum, atque insolitum ab iis factum commemoratur in Divinis litteris, minime probat, iis inesse naturalem virtutem ejusmodi effectus producendi, utpote quos forte nonnisi Deo volente, aut specialiter jubente, aut permittente, ediderunt. 3.° quia de his, quae ad liberam Dei voluntatem pertinent, nullum certum proferre possumus judicium, nisi per revelationem. Majorem autem, vel minorem potentiam Angelis tribuere a libera Dei voluntate pendet, cujus tantum proprium est plures, vel pauciores gradus alicujus perfectionis creaturae concedere; nec ulla adest revelatio quoad gradus potentiae motricis Angelis concessae: Neque igitur certo, ad quae se extendat motrix Angelorum potentia, judicare possumus.

Prob. 2. pars. Et 1.° ex eo quod diximus l. 1. c. 2., §. 1., ubi et quae sint veri nominis miracula, declaravimus; et solius Dei esse veri nominis miracula operari, ostendimus tum ex Ps. 135., ubi de Deo ait Regius Psaltes: *Qui facit mirabilia solus*: tum ex D. Aug. l. de util. cred. c. 17., et contra ep. fund. c. 4. ubi: *Teneri se* (ait) *in Ecclesia vinculis miraculorum*: tum ratione Moshemii in Cudwortum, quod in-

credibile videtur, et a ratione aversum, Deum, qui summa sapientia leges naturae sanxit, et rogavit, inferioribus naturis tantum virium largitum esse, ut si velint, legibus illis modum queant ponere: *Cuinam enim* (inquit) *sapientiam, et providentiam suam probaturus esset Rex ille, qui Ministris suis facultatem daret, leges magna cura excitatas a se, ac roboratas pro lubito vel abrogandi, vel impediendi?* Quibus addimus, quod nisi Dei solius esset veri nominis miracula operari, non recte Christus per miracula Divinitatem suam probasset, cum ait Jo. 10.: *Opera, quae Ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me*: Et ibidem: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et quum Baptistae discipulis quaerentibus, an ipse esset adeo optatus Messias? respondit: *Euntes renunciate Joanni quae audistis, et vidistis: Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt* (*Matth.* 11.). Christum autem non recte per miracula Divinitatem suam probasse, impium, ac blasphemum dictu: Non igitur, nisi solius Dei esse veri nominis miracula operari, consequens est.

Diximus *veri nominis miracula*; posse enim nedum bonos, sed et malos Angelos, Deo permittente, mira facere, ipsarum Scripturarum auctoritate, ostenditur. Ea vero triplici ratione operari possunt: 1.° scilicet per motum localem citissimum, humanisque sensibus nullatenus obvium; quo ita unam substituere possunt substantiam in locum alterius, ut quae oculis offertur substantia, appareat de novo creata, atque producta. 2.° per applicationem activorum passivis, occultis nempe motibus rerum semina celeriter temperantes, quemadmodum arte, et industria agricolarum saepe arbores citius crescunt, et fructus reddunt: in quibus proinde signis si quid mirabile deprehenditur, tribuendum est Deo; qui solus creator est, et rationes illas seminarias rebus inseruit, collata Angelis potestate supra res quasque visibiles. 3.° secretis motibus spirituum animalium cursum in homine dirigentes, ita ut existiment praesentem videre substantiam, quae tamen praesens non est, sed mera illusio. Quae improprie miracula, ac rectius mirabilia dicenda sunt: quae item quum a malis Angelis patrantur, nedum nonnisi permittente Deo, patrantur; ne-

que enim haec visibilium rerum materia transgressoribus Angelis ad nutum servit, ut recte observat D. Aug. l. 3. *De Trin. c.* 9., alias, ut sunt hominibus infensissimi, ad eorum perniciem, et interitum elementa moverent; verum etiam quum ab iis patrantur, pluribus semper characteribus a Dei mirabilibus distingui possunt; ac praecipue, quod Dei mirabilia fiunt Divini Nominis invocatione, aliisve Christianae Religionis ritibus, unde Marci 11. ait Christus: *Nemo est, qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me*: Itemque fiunt, quemadmodum advertit D. Aug. l. 10. De Civ. Dei c. 17., *ut nos ad Deum colendum, eique cohaerendum excitemur*. Quod et monuerat Ap. 1. ad Cor. c. 12. illis verbis: *Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu*; Gersonius vero explicat exemplo Principis, cui nullus credere teneretur, *si falsarius litteras sigillo suo consignari, scienter, et absque ulla contradictione permitteret*. Qua super re consulantur quoque, ne actum agamus, quae cit. loco, idest l. 1. art. 2. §. 1. p. 23., et 24. diximus.

CAPUT III.

De intellectu Angelorum.

Angelos esse praeditos intelligendi virtute, nemini dubium esse potest, sunt enim substantiae natura sua prorsus spirituales, liberi arbitrii compotes, perfectae beatitudinis capaces, Deique imaginem, et similitudinem praestantissime referentes: quae omnia totidem sunt argumenta, quibus in eis intellectivam virtutem esse, manifeste evincitur.

Esse autem facultatem, quae ab eorum substantia realiter non distinguitur, ex eo evidens est, quod ea, quae realiter distinguuntur, sunt vel separata, vel saltem separabilia; cujusmodi non est Angeli intellectus ab ejusdem Angeli substantia. Cui accedit, quod si realiter ab ea distingueretur, vel substantia esset, vel accidens. Non primum juxta omnes. Non alterum, quomodo enim accidens intelligeret? Formaliter tamen distingui, procul dubio est: formaliter enim distinguuntur, quae in conceptu differunt. Porro Angelus concipitur per

substantiam spiritualem, intelligentem, et completam; ejus vero intellectus per facultatem, qua res distincte percipit: Cum ergo conceptu distinguantur, formaliter quoque inter se distingui, consequens est.

Demum posse etiam, quae cognoscunt, mutuo sibi communicare, patet 1.° ex Scripturis, quae Angelos nobis exhibet sibi invicem colloquentes, ut Is. 6., ubi Seraphim *clamabant alter ad alterum*: Zach. 2., ubi unus Angelus ad alium dicebat: *Curre, loquere ad puerum istum*: Ep. 1. ad Cor c. 13., ubi Apostolus ait: *Si linquis hominum loquar, et Angelorum, etc.* Nec non Apoc. 7., ubi Angelus *clamavit voce magna quatuor Angelis: Nolite nocere terrae, et Mari.* 2.° etiam ex eo quod Angeli societatem constituunt; quae consistere nequit absque eo quod cogitata sua sibi mutuo possint communicare, et communicent. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Multa tam Divinitus infusa, quam naturaliter cognita Angelorum intellectui patent.

Prob. Et 1.° ex Script.; ut ex *c.* 28. *Ezech.*, ubi Angelus sub figura Regis Tyri dicitur *plenus sapientia, et perfectus in viis suis a die conditionis suae, donec inventa est iniquitas in eo*, ea enim, quae dicuntur in illo cap., intelligenda potius esse de Lucifero, quam de Rege Tyri, censent D. Aug. *l.* 11. *de Gen. ad litt. c.* 24.; D. Greg. *l.* 32. *Moral. c.* 24., et 25.; D. Ambr. *l.* 1. *de Par. c.* 2.; D. Epiph. *haer.* 64.; aliique ex PP. Talis autem non diceretur, nisi multa cognovisset a primo die, quo creatus est, tam Divinitus infusa, quam naturaliter acquisita: Patet ergo propositum. Cui ex Scripturis accedit, quod dicitur *Eccli.* 17. de primo homine, Deum scilicet illum condidisse rerum omnium naturalium scientia instructum: *Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum.* Quod cum ita sit, a fortiori dicendum, Divinitus rerum omnium naturalium scientiam accepisse Angelos, tum quia sunt naturae praestantioris, utpote purae mentes, et intelligentiae, tum quia amplioribus, et sublimioribus destinati ministeriis: Dubitandum ergo non est, quod multa tam Divinitus infusa, quam naturaliter cognita Angelorum intellectui pateant.

2.° Ex eo quod Deum cognoscere lumine etiam naturali, et sine peculiari gratiae beneficio, ex eo liquet,

quod ipsi quoque homines in hoc statu naturae lapsae Deum naturaliter cognoscunt, testante Ap. ad Rom. 1. illis verbis: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quod certe multo magis Angelis tribuendum est, quorum longe subtilior est cognoscendi vis. Seipsos quoque cognoscere, nemini dubium esse potest, nequit enim intelligi, substantiam spiritualem intellectu praeditam seipsam non cognoscere. Cognoscere etiam res materiales, colligitur 1.° ex relato loco Eccli., 2.° ex c. 1. ad Heb., ubi Angeli dicuntur *administratorii Spiritus*, quia nempe inferiora haec per eos administrantur. Nisi autem haec inferiora cognoscerent, neque etiam eorum curam gerere possent. 3.° ex eo quod Angeli cum sint partes quaedam Universi, naturale desiderium ipsis inesse debet cognoscendi totum, ad quod pertinent. Porro sunt quoque naturaliter perfecti: Non ergo iis deest ista cognitio.

Demum cognoscere futura omnia necessaria, idest *quae sunt a causis naturalibus necessariis, quae naturaliter impediri nequeunt*; eaque etiam contingentia non libera, idest *quae sunt a causis naturalibus necessariis, sed quae naturaliter impediri possunt*, sub conditione tamen quod causae naturales sibi permittentur, nec earum concursus impedietur interventu alicujus causae liberae; ex eo sequitur, quod ob perfectionem naturae Angelicae negari nequit ex dictis, quod Angeli cognoscant totum systema naturale. Futura autem utriusque generis sunt ipsius systematis consectaria; quod quidem de futuris primi generis ex se manifestum est; de futuris vero alterius generis manifestum fit ex hoc, quod etsi relate ad causas proximas, ad quas pertinent, non sint naturaliter determinata, cum impediri possint ab aliis causis naturalibus, relate tamen ad totum systema naturale, jam sunt naturaliter determinata: Angeli igitur cognoscendo totum systema naturale cognoscere simul debent utriusque generis futura; modo tantum, quod causae naturales sibi permittentur, nec earum concursus impedietur interventu alicujus causae liberae.

Prop. II. Angelorum intellectus longe supra humanum excellit.

Prob. Et 1.° ex eo, quod ait Mulier Thecuitis, volens David laudare, ut dicitur l. 2. Reg. c. 14. *Tu autem, Domine mi Rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Ange-*

lus Dei, ut intelligas omnia super Terram. 2.° ex eo quod Angeli sunt longe hominibus nobiliores. Si autem longe hominibus nobiliores, nobilioribus quoque facultatibus pollere debent, ideoque et praestantiore intellectu. 3.°, quia cum Dei imaginem, et similitudinem praestantissime referant, propius quoque ad Divinum intelligendi modum debent accedere, nullo egendo discursu in rebus naturalibus cognoscendis, sed simplici intuitu; et apprehensione ea omnia cognoscendo, ad quae vis eorum cognoscitiva potest pertingere. Id autem intellectum longe excellentiorem supra humanum ostendit: Patet ergo propositum.

Qua super re negandum tamen est, Angelorum intellectum semper actu cognoscere ea, quae cognoscit, cum nulla ratio id evincat, ut recte advertit D. Th. qu. 58. art. 1. Excipitur tantum 1.° cognitio supernaturalis beatifica; Angeli enim Sancti sunt semper beati, ac proinde actualiter semper in illis est beatitudo, quae in actuali intuitiva Dei cognitione consistit: utque dicitur Matth. 18., ipsimet Angeli missi in ministerium ad custodiam *pusillorum, semper vident faciem Patris, qui in Coelis est.* 2.° cognitio naturalis, qua Angelus seipsum cognoscit, sicut enim corpora viventia semper sunt in actu secundo respectu alicujus operationis vitalis, ita existimandum est, substantias pure spirituales, quales sunt Angeli, semper actu habere aliquam operationem vitalem; nec ulla videtur esse ipsis magis naturalis, quam sui ipsorum cognitio.

Prop. III. Respectu objectorum, quae vel distantia sint, vel facultati intellectivae improportionata, cognoscit Angelus per species illi a Deo inditas. Respectu vero aliorum objectorum, ac maxime sui ipsius, cognoscit per solam sui essentiam, et intellectum.

Prob. 1. pars. Ubi enim objectum vel sit distans, vel facultati intellectivae improportionatum, aliquod necesse est, quod illam ejus distantiam, vel improportionem suppleat. Id autem nequit concipi, nisi per species Angelorum intellectui a Deo inditas: Ejusmodi ergo objecta per id genus species Angelus cognoscit.

Prob. 2. pars. Ubi enim objectum nec distans sit, nec facultati intellectivae improportionatum, cujusmodi maxime est respectu cujusvis Angeli sui ipsius essentia, et substantia, inutilis omnino videtur, et inintelligibilis species, per quam objectum cognoscatur; satiusque dici-

tur, quod sufficit ad id muneris nuda intellectus facultas. Et sane, ut super simili proposito disseruimus l. 2. tr. 10. cap. 4. prop. 1., habet intellectus vim sibi repraesentandi objecta; utque eam exerceat, aliud non requiritur, nisi objecti applicatio. Hanc autem objecti applicationem, dum istud est praesens, et proportionatum, fieri per aliquam speciem, quae objecti vices teneat, nonne inutile prorsus, et inintelligibile? Neque est, qui non videat, quod si species, per quam cognoscatur, inutilis est, et inintelligibilis, dicendum profecto, quod respectu ejusmodi objectorum cognoscit Angelus per solam sui essentiam, et intellectum: Per solam ergo sui essentiam, et intellectum Angelus ejusmodi objecta cognoscit.

Prop. IV. Nec futura libera; nec affectiones, et cogitationes liberas Angeli cognoscunt, ubi nullatenus exterius prodantur. Prima pars est de fide. Altera, ut vocatur a Tourn, , *omnino certa; et tenenda; eam enim, inquit Estius, tam Scriptura, quam Patres valide confirmant; immo Suarez, Meratius, et alii eam de fide esse censent, prout restringitur ad liberas voluntatis affectiones.*

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Script.; dicitur enim Is. 41. *Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos.* Et Dan. 2. *Est Deus in Coelo revelans mysteria, qui indicavit tibi, Rex, quae ventura sunt in novissimis temporibus:* Unius ergo, ac solius Dei ejusmodi futurorum cognitio dicenda est.

2.° Ex PP.; ita enim Tertull. Apol. c. 20. *Idoneum opinor testimonium Divinitatis veritas Divinationis:* Ita quoque D. Jo. Chrys. hom. 18. in Jo. *Certa praedictio futurorum dumtaxat Dei opus est.* Ita quoque D. Hil. l. 9. *Quid est tam proprium Deo, quam futurorum cognitio?* Et passim SS. PP. ex eo probant, fidei nostrae mysteria vera esse, et a Deo testata, quia antea praedicta.

3.° Ex ratione; quia nempe futura libera sunt ex causa indifferenti ad utramlibet partem, ex qua proinde non magis intelligitur eventus futurus, quam non futurus. Ex causa autem indifferenti, et indeterminata nequeunt Angeli cognoscere effectum determinatum: Neque igitur futura libera possunt cognoscere.

Prob. 2. pars: Et 1.° quoque ex Script.; ita enim 1. Reg. 16. *Homo videt ea, quae parent; Deus autem*

intuetur cor. Et 2. Paral. 6. *Tu solus nosti corda filiorum hominum*. Et Ps. 7. *Scrutans corda, et renes Deus*. Et Jer. 11. *Pravum* (sive ut 70. vertunt *profundum*) *est cor hominum, et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes*. Constat demum ex l. Job, Diabolum praedixisse, Job peccaturum, si eum Deus adversis afflixisset: quod tamen contra accidit.

2.° Ex PP.; ita enim D. Jo. Chrys. hom. 24. in Jo. *Quae in corde hominum insunt, nosse, solius est Dei*. Et hom. 30. in Matth. *Quod vero Dei solius sit secreta cordium nosse, audi Prophetam dicentem: Tu noscis corda solus*. Item D. Ambr. l. 5. in Luc. c. 3. *Dominus volens salvos facere peccatores, occultorum cognitione Deum se esse demonstrat*. Additque l. 2. in Luc. c. 3., quod Diabolus Viros Sanctos tentationibus non urgeret, si praevidere posset, iis occasionem tribuere victoriae, et meritorum cumulum augendi. Item D. Aug. in Ps. 130., cui et concinit D. Leo M. ser. 11., ambo ajentes, quod si Diabolus praevidere potuisset, quae futura erant post Christi mortem, et quia per eam ipse amisisset potestatem, quam usque ad id tempus in homines exercuerat, homines vero salutem, ac libertatem filiorum Dei consecuti essent, mulcere potius studuisset Judaeorum animos, quam eos injustis odiis magis, magisque accendere. Item D. Hieron. in c. 17. Jer. *Nullus cogitationum secreta cognoscit, nisi solus Deus*. Quibus concinunt alii.

3.° Multiplici ratione; 1.° enim ea tantum Angeli naturaliter cognoscunt, quae spectant ad naturae ordinem. Affectiones autem, et cogitationes liberae, nisi sponte manifestentur a cogitante, non continentur sub ordine naturae, cum non dependeant a causis naturalibus, sed a causa libera, ut tali, indifferenti scilicet, et indeterminata ad actum; Non ergo eas Angeli cognoscunt, immo possunt cognoscere. 2.° quia libertas postulat, ut agens liber dominium suorum actuum habeat. Si autem cogitationes, et affectiones, quae ex libero ejus arbitrio pendent, nonnisi Deo soli paterent, aliis vero creaturis eatenus solum, quatenus ipse Agens liber ab iis cognosci velit, dominium earum non haberet; quippe quod eas aliis abscondere non posset: Solius ergo Dei est illas cognoscere, quas proinde Angeli non cognoscunt. 3.° quia

si Angelis aliorum tam Angelorum, quam hominum cogitationes paterent, ita ut eas statim nossent, cum vellent; nullae darentur illuminationes, et locutiones Angelorum mutuae. Dantur autem, ut supra diximus: Non ergo eas cognoscunt.

Diximus *quae nullatenus exterius prodantur*; secus namque pernoscere eas possunt Angeli; ea nempe ratione, qua et nos homines aliorum iram, moerorem, gaudium, aliasque animi affectiones agnoscimus interdum ex vultu: ex quo haec omnia quanto magis Angeli pernoscent, cum sint nobis longe perspicaciores?

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Utique Angelis patere possunt affectiones, et cogitationes liberae, si iis obversentur motiones spirituum animalium, et sensorii communis, cum ab his mens determinetur ad affectiones, et cogitationes suas omnes. Iis autem motiones illae obversantur: Et patere igitur illis possunt affectiones, et cogitationes liberae, ad quas mens ab iis determinatur.

R. neg. sequ. maj.; quod nempe motiones spirituum animalium, et sensorii communis possint esse medium, unde Angeli, non quidem conjecturaliter, quod ultro fatemur, sed certo cognoscant affectiones, et cogitationes liberas: 1.° quia illas motiones perfecte respondere ipsis affectionibus, et cogitationibus, ita nempe, ut quemadmodum imago repraesentat suum prototypum, ita illae motiones repraesentent affectiones, et cogitationes mentis, nemo dicet. 2.° quia tunc, cognito A, cognoscitur B, quum A connectitur cum B, velut ratio sufficiens cum suo rationato; qua ratione motiones spirituum animalium, et sensorii communis connecti cum affectionibus, et cogitationibus liberis, dici nequit, quin de earum libertate actum sit. Hinc cognitis quoque illis signis, arcanum semper illis erit, nec umquam poteruut dignoscere, qualiter voluntas se habeat erga signa illa sensibilia, utpote quae nullam ejus actibus inferunt necessitatem, liberamque eam relinquunt, ut ipsis consensum praebeat, vel dissensum.

Objic. 2.° Profecto Ethnici consulere desiissent oracula, quae consulebant, si eorum responsa non fuissent

eventu comprobata. Optime autem ducitur illatio ab actu ad posse: Futura igitur posse Angelos praedicere, est dicendum.

R. dist. cons.; posse scilicet futura praedicere vel necessaria ex causis necessariis oritura, vel etiam ob summam celeritatem, qua de loco in locum transire possunt, ipsa futura contingentia in remotissimis regionibus jam facta, et adhuc eos consulentibus abscondita: at futura libera conjecturaliter quidem, et ambigue praedicere posse, non tamen certo, et infallibiliter. Ejusmodi autem erant responsa, quae olim Daemones reddebant per oracula; quorum etiam permulta falsi illi Sacerdotes comminiscebantur, credulisque hominibus ventitabant; quare ait Cicero *l.* 2. *De Divinat.*, ideo Apollinem Pythium sua aetate obmutuisse, quia homines minus creduli esse coeperant.

Objic. 3.° Quod Astra sint futurorum signa, auctor est Moyses, inquiens c. 1. Geneseos; quod posita a Deo sunt, ut essent *in signa, et tempora, et dies, et annos*. Quod si futurorum signa, poterunt ex iis, sin minus homines, saltem Angeli perspicacitate, qua super homines pollent, cujusvis generis futura praedicere: Haec igitur praedicere possunt.

R. dist. maj.; signa scilicet futurorum esse, quae ex eorum influxu pendent; non vero omnium absolute futurorum, ac maxime eorum, quae contingentia sunt, et libera. Dicitur autem a Moyse, quod posita a Deo sunt, ut essent *in signa, et tempora, et dies, et annos*, per hebraismum, ut Sacri Interpretes advertunt, idest posita esse in signa temporum, dierum, et annorum.

Prop. V. Neque etiam gratiae mysteria sive futura, sive facta propriis naturae viribus Angeli possunt cognoscere. Est commune, et certum.

Prob. Et 1.° ex Script.; ut ex 1. ad Cor. 2., ubi: *Quis hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Et ad Eph. 3. *Mihi data est gratia haec in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes. quae sit dispensatio Sacramenti absconditi a saeculis in Deo, ut innotescat Principatibus, et Potestatibus in Coelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Quae apertissima sunt.

2.° Ex PP.; ut D. Ambr. in relatum Ap. loc. *Sensum Dei nemo novit, nisi qui de Deo est Spiritus*

Dei; inferiora enim non possunt superiorum scire consilium, neque creatura Conditoris sui dignoscere voluntatem. Et D. Leo M. serm. 11. de Pass. *Si enim* (ait) *crudelis, et superbus inimicus consilium misericordiae Dei nosse potuisset, Judaeorum animos mansuetudine potius temperare, quam injustis odiis studuisset accendere.*

3.° Multiplici ratione; nam 1.° Angelus ea tantum potest propriis naturae viribus cognoscere, quae iis sunt proportionata. Hujusmodi autem non sunt gratiae mysteria cum naturali activitate intellectus Angelici; sunt enim illa ordinis supernaturalis, haec est ordinis naturalis: Non ergo illa propriis naturae viribus possunt cognoscere. 2.° quia naturalis cognitio hauriri debet ex aliqua causa naturali connexionem habente cum re cognoscenda. Gratiae autem mysteria, utpote altioris ordinis, connexionem non habent cum ulla causa naturali: Non ergo de iis naturalis cognitio haberi potest, quae proinde Angelos naturaliter latere debent. 3.° quia nemo Angelorum potest naturaliter cognoscere cogitationes alterius ex voluntate ejus dependentes. Quod cum ita sit, multo minus cognoscere posse, dicendum est, ea, quae ex sola Dei voluntate pendent, qualia profecto sunt gratiae mysteria: Eos igitur haec naturaliter latere debere, magis, magisque perspicuum est.

Diximus *propriis naturae viribus*, Angelos enim adhuc viatores Divinitus revelata cognovisse aliqua Mysteria, ut SS. Trinitatis, Incarnationis, etc., procul dubio videtur: 1.° quia non erant eo in statu nobis deteriores, nec ad minorem beatitudinem ordinabantur. Quare nec minorem horum mysteriorum cognitionem, quam nos, habere debuerunt. 2.° quoad mysterium Incarnationis, quia Christus, ut homo, futurus erat caput tam hominum, quam Angelorum in gratia perseverantium. Quare cum omnes Angeli ab initio habuerint fidem sibi divinitus infusam, verisimile videtur, quod aliquam sui Capitis notitiam habuerint. Hinc ita docet et D. Aug. *l. 5. de Gen. ad lit. c.* 19.; et D. Th. 2. 2. *q.* 2. *a.* 7. *ad* 1.

Nec adversatur illud Lucae c. 4. *Exibant Daemonia clamantia, quia tu es Filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant, ipsum esse Christum.* Respondetur enim, 1.° Daemones illis verbis usos fuis-

se ficte, et adulatorie, vel ut veritatem ex ipsius Christi ore elicerent, vel ut illi aliquam elationis, et superbiae occasionem darent. Ita D. Hier. *in c.* 8. *Matth.* 2.° quod si Daemones aliquam hujus Mysterii cognitionem habuerunt, fuit haec tantum conjecturalis, non vero certa, de qua hic tantum est quaestio; ut et docet D. Hier. *in c.* 4. *Matth.*, nec non D. Aug. *l.* 9. *De Civ. Dei c.* 21., D. Leo M. *ser.* 4. *in Quadrag.*, aliique.

Prop. VI. Nec per signa quaedam spiritualia, nec per solam voluntariam, ac liberam ordinationem proprii conceptus ad alterum mutuo sibi colloquuntur Angeli; sed per praefatam ordinationem, ac simul legem a Deo sancitam, quod dum aliquis Angelus velit alteri proprium conceptum manifestare, excitetur alter ad illum audiendum. Ita probabilius cum Tourn.

Prob. 1. pars. Si enim per signa quaedam spiritualia sibi mutuo colloquerentur, ut censet Laur. Berti; non posset Angelus uni, vel duobus ex aliis loqui, quin loqueretur omnibus; siquidem sive illa signa essent naturalia, sive ex ipsorum arbitrio instituta, quidnam prohiberet, ne omnes aeque perciperent illorum signorum sensum? Posse autem Angelum uni, vel duobus ex aliis loqui, quin omnibus loquatur, ex ipsis Scripturis constat, et praesertim ex relatis verbis Apoc. 7., quod Angelus *clamavit voce magna quatuor Angelis, etc.*: Non igitur per ejusmodi signa sibi mutuo colloquuntur. Accedit, quod Bertianum placitum ignotum per aeque ignotum explicat, ac tantum transfert, non solvit difficultatem; quidnam enim signa illa spiritualia inter Angelos?

Prob. 2. pars. Ad mutuo enim colloquendum requiritur, et quod loquens manifestet, quantum in se est, proprium conceptum alteri; et quod hic ad illum audiendum excitetur. Sola autem voluntaria, ac libera ordinatio proprii conceptus ad alterum efficiet plane, quod Angelus manifestet, quantum in se est, alteri Angelo proprium conceptum, non tamen, quod hic ad illum audiendum excitetur: Neque igitur per solam voluntariam, ac liberam ordinationem proprii conceptus ad alterum sibi mutuo colloqui, dicendum est.

Prob. 3. pars. Ad mutuo enim colloquendum requiritur, ut diximus, et quod loquens manifestet, quan-

tum in se est, proprium conceptum alteri, et quod hic ad illum audiendum excitetur. Angelus autem manifestabit alteri, quantum in se est, proprium conceptum per voluntariam, ac liberam ordinationem illius conceptus ad alterum: hic vero excitabitur ad illum audiendum per legem a Deo sancitam, quod dum aliquis Angelus velit alteri proprium conceptum manifestare, excitetur hic ad illum audiendum. Quemadmodum nempe, ut corpus inter, atque animam hominis perfecta haberetur societas, hanc Deus sancivit legem, quod positis quibusdam motibus corporis responderent in anima quaedam perceptiones, et positis quibusdam volitionibus animae responderent in corpore quidam motus; ita etiam, ut inter Angelos perfecta societas haberetur, hanc recte dicimus sanxisse legem, quod posita in Angelo volitione manifestandi proprium conceptum alteri, hic excitaretur ad illum audiendum.

Hinc operae pretium est colligere cum Tourn., 1.º localem distantiam non obstare, quo minus Angeli custodes, qui in terris versantur, cum iis colloquantur, qui sunt in Coelis, quia nempe Angeli locutio est plane spiritualis a loco prorsus independens. 2.º unius Angeli collocutionem cum altero caeteris Angelis non innotescere; non enim, ut supponitur, Angelus ille cogitationes suas caeteris manifestare intendit. 3.º latum esse discrimen inter locutionem, et irradiationem, seu illuminationem Angelorum; irradiatio enim, seu illuminatio est illustratio unius ab alio, inferioris a superiori; locutio vero est manifestatio conceptuum: ex quo sequitur, quod omnis irradiatio est locutio, non vero omnis locutio est irradiatio, quia nempe Angelus inferior alloquitur superiorem, non tamen ipsum irradiat.

CAPUT IV.

De voluntate Angelorum.

Simul cum intellectu Angelis quoque inesse voluntatem, facultatem nempe volendi, ac nolendi, probatione non eget; cuivis enim substantiae intelligenti inest appetitus, seu voluntas rationalis. Hinc ea Angelos esse praeditos, multoties supponitur in Scripturis; ut 1. Pet. c.

1. ; ubi: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Et 2. ejusd. c. 2., ubi: *Angelis peccantibus Deus non pepercit*; desiderium namque, et peccatum nonnisi voluntati convenire possunt.

Esse autem facultatem, quae ab eorum substantia formaliter tantum, non vero realiter distinguitur, evidens est ex dictis initio superioris cap. de eorum intellectu, quae et hic militant. Sicut etiam evidens est ex dictis in tract. de actibus humanis c. 1., quod in bonum commune quidem, ac in perfectum, et summum Bonum intuitive cognitum fertur necessario, neque aliam libertatem habet, nisi tantum *a coactione*, quippe quod tale bonum ei proponitur absque indifferentia judicii. Sed circa bonum particulare, sive creatum sit, sive summum *abstractive* cognitum, habet cum indifferentia judicii veram quoque libertatem indifferentiae; tum quia eo ipso, quod in ipsis est indifferentia judicii ob naturam intellectualem, qua praediti sunt, debet quoque in iis esse indifferentia arbitrii, nam unum ex altero profluit, ut ibi ostendimus; tum quia si mereri, ac demereri potuerunt, necessario iis tribuenda est libertas, cum absque hac ex dictis ibidem nec merito, nec demerito locus ullatenus esse possit. Quare D. Balis. l. 1. de Spir. S. c. 16. *Impiorum (ait) et adversariorum spirituum defectio id, quod dicimus, approbat, scilicet juris sui, ac libertatis esse invisibiles virtutes.* Sed de hoc et infra.

Qua super re advertendum quoque ducimus, quod necessitas amandi Deum in Angelis Sanctis, piisque animabus Deum videntibus facie ad faciem in statu gloriae est essentialis, et physica, quia Deum intuitive videntes non habent judicium indifferens, quod requiritur ad essentiam libertatis indifferentiae. Cujus proinde generis est quoque in iis impeccabilitas; quia nempe, ut D. Th. disserit, spiritus intuitive Deum videns, ad illud Ens supremum se habet, quemadmodum homo nunc se habet ad rationem boni in genere. Quare sicut homo nihil nunc potest velle, nisi intendat in bonum in genere, et in quantum volitionis objectum habet rationem boni, ita spiritus intuitive Deum videns velle, aut agere quidquam non potest, nisi intendens in Deum; ex quo sequitur, quod peccare nequeat. Nihil autem id obstare, quin vera in iis sit libertas, diximus l. cit. de act. hum., ubi ostendimus, quod libertas contrarietatis quoad bonum, et malum non

est de liberi arbitrii essentia, sed ejus potius imperfectio. Cujus vero generis sit e contrario in Daemonibus necessitas peccandi, opportunius, ubi de eorum statu, declarabimus.

Quibus breviter libatis, quae hic declaranda occurrunt, sunt 1.°, an Angeli, praeter seipsos, Deum quoque naturaliter diligant, cum enim dilectio naturalis, ut D. Thomas docet 1. p. qu. 60. art. 1. ad 3., *nihil aliud sit, quam inclinatio naturae indita ab Auctore naturae*, quaeritur proinde, si fuerunt, necne Angeli ita conditi, ut naturaliter Deum, plusquam seipsos, diligerent, non quidem, ut ibidem subdit S. Doctor art. 5. ad 5., amore electivo, seu *qui elicitur a voluntate, ut est facultas ad utrumlibet active expedita*, sed amore naturae, seu *qui elicitur a voluntate, ut est ad unum ex inclinatione naturae determinata.* 2.° an eorum voluntas, non quidem ante electionem, quod a nemine in controversiam vocatur, sed post electionem possit aliud velle. Sit igitur

Prop. I. Conditi fuerunt Angeli ita, ut naturali inclinatione ferrentur ad amandum Deum plus quam seipsos. Quo sensu loquitur D. Thomas, inquiens, quod Angelus naturali dilectione Deum magis diligit, quam seipsum.

Prob. Et quidem ipsius D. Th. verbis l. cit.; quod nempe *unumquodque magis inclinatur in id, cujus est, quam in seipsum; sicut manus exponitur absque deliberatione ad conservationem totius corporis.* Quare et *est virtuosi Civis, ut se exponat mortis periculo pro totius Reipublicae conservatione; et si homo esset naturalis pars civitatis, haec inclinatio esset ei naturalis.* Est autem *Deus bonum universale, et sub hoc bono continetur etiam Angelus, et homo, et omnis creatura, quia omnis creatura naturaliter, secundum quod est, Dei est: Naturali* igitur *dilectione etiam Angelus, et homo plus, et principalius diligit Deum, quam seipsum.*

Pergit quoque S. D., quod si Angelus, et homo *naturaliter plus seipsum diligeret, quam Deum, sequeretur, quod naturalis dilectio esset perversa, et quod non perficeretur per charitatem, sed destrueretur.* Sunt autem ambo haec dictu absurda: 1.^{m}, nempe, quia Deus esset auctor perversi illius amoris, siquidem, ut docet idem S. D. quodlib. 1. a. 8., *dilectio naturalis est quaedam naturalis inclinatio naturae indita a Deo.* Alterum,

quia gratia non destruit naturam, naturalemque amorem, sed perficit. Naturali igitur dilectione, illa scilicet, quae ex naturae penu habetur, tam Angelum, quam hominem, magis ferri, seu inclinari in Deum, quam in seipsum, consequens est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Omnis dilectio est aut recta, aut non recta. Dilectio autem recta pertinet ad charitatem, quae nequit esse naturalis; non recta vero pertinet ad vitiosam cupiditatem, quae locum non habet in Angelis in puris naturalibus: Nulla ergo in iis naturalis Dei dilectio.

R. neg. min., quod nempe omnis dilectio recta pertineat ad charitatem; omnis enim dilectio naturalis, cum sit ab Auctore naturae, semper est recta, et tamen est aliquid minus charitate, per quam Deus diligitur, ut supernaturaliter cognitus, et per supernaturale adjutorium. Idque idem S. D. confirmat l. cit. *art.* 1. ad 3., ubi: *Dicendum, quod sicut cognitio naturalis semper est vera, ita dilectio naturalis semper est recta, cum amor nihil aliud sit, quam inclinatio naturae indita ab Auctore naturae. Dicere ergo, quod inclinatio naturae non sit recta, est derogare Auctori Naturae. Alia tamen est rectitudo dilectionis naturalis, et alia est rectitudo charitatis, et virtutis, quia una rectitudo est perfectiva alterius; sicut alia est veritas naturalis cognitionis, et alia est veritas cognitionis infusae, vel acquisitae.*

Objic. 2.° Nemo potest solis naturae viribus Deum super omnia diligere, ut ipse D. Th. docet 1. 2. *q.* 109. *art.* 3. Idem autem dictu est, quod Angeli naturali dilectione Deum, plusquam seipsos, diligant, quodque eum diligant, plusquam seipsos, solis naturae viribus: Falsum ergo, quod Angeli naturali dilectione Deum, plus quam seipsos, diligant.

R. neg. min.; Angelos namque naturali dilectione Deum diligere, plusquam seipsos, non significat, quod *solis naturae viribus*, sed tantum, quod *ex naturali inclinatione, et propensione* Deum, plusquam seipsos, diligant. Porro, ut observat Sylvius 2. 2. *qu.* 26. *art.* 3., non omnis inclinatio naturalis ejusmodi est, etiam abstrahendo a naturae corruptione, ut solis naturae viribus

possit impleri ; anima enim separata a corpore naturaliter inclinatur ad corpus, cui tamen conjungi non potest, nisi per virtutem supernaturalem.

Objic. 3.° Nequit idem objectum amari simul amore necessario, et libero ; ac circa idem objectum haberi simul amor, et odium. Utrumque autem dicendum esset, admittendo in Angelis adhuc viatoribus naturalem erga Deum dilectionem : Figmentum ergo haec eorum naturalis erga Deum dilectio.

R. neg. min. ; dum enim amor improprie sumitur, prout hic sumitur, pro inclinatione quadam naturali, absque ulla repugnantia dici potest, quod Angeli adhuc viatores Deum supra seipsos naturaliter amaverint. Etenim quemadmodum nos, etsi naturaliter, ob corruptionem scilicet a peccato haustam, erga malum feramur, illud tamen et aversari, et amplecti possumus, prout libuerit ; ita et Angeli adhuc viatores, etsi naturalem inclinationem erga Deum habuerint, ex iis tamen alii eum aversari, alii eumdem corde amplecti pro lubito potuerunt.

Prop. II. Libere Angelus eligit : ac post electionem libere etiam potest suam electionem mutare. Prima pars est de fide ; altera probabilior contra Thomistas, qui eum, inquiunt, post electionem firmiter objecto adhaerere.

Prob. 1. pars. Et 1.° ex iis Scripturae locis supra allatis, ac infra afferendis, ex quibus patet, Angelos capaces fuisse meriti, ac demeriti, obedientiae, et culpae. Nullus autem absque libertate his locus, ut ostendimus in tract. de act. hum. c. 3. pag. 25., et sequ. : Conditos ergo fuisse libertate praeditos, consequens est.

2.° Ex D. Aug., qui l. de corrept., et gr. c. 10., *Angeli* (inquit), *quorum princeps est, qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium a Deo refugae facti sunt. Caeteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt.* Idem quoque scribit c. 11., inquiens de Angelis Sanctis, *quod cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus permansionis liberam mercedem recipere meruerunt.* Quod et confirmans l. 22. De Civ. Dei c. 1., *Deus*, inquit, *liberum arbitrium eidem naturae intellectuali tribuit tale, ut si vellet deserere Deum, continuo miseria esset secutura.* Concinunt vero D. Basil. l.

1. De Spiritu S. loco supra citato, D. Greg. Nazianz. or. 38., D. Greg. Nyss., D. Leo M., aliique.

3.° Ratione, quam supra innuimus; est enim libertas, velut naturae rationalis appendix, ut scite advertit D. Thomas illis verbis, quod *homo est liberi arbitrii ex hoc ipso, quod rationalis est*; per rationem namque quodvis objectum finitum, ipsumque objectum infinitum obscure cognitum voluntati proponitur cum quadam veluti indifferentia, ex qua ipsius inde voluntatis indifferentia oritur, ut ostendimus ubi de actibus hum. c. I. pag. 12., et sequ. . Angelorum autem Natura nedum est rationalis, sed et humana perfectior, ac Deo vicinior, et propinquior: Et libera igitur. Hinc D. Jo. Damasc. l. 2. c. 3. *Est Angelus natura sua intelligens, arbitrii libertate praeditus. . . Quoniam id omne, quod ratione utitur, libertate quoque praeditum est.*

Prob. 2. pars. Et 1.° ex PP., docentibus, voluntatem Sanctorum Angelorum immutabilem esse, non natura; sed gratia. Ita nempe D. Aug. l. de corr. et gr. c. 10., ubi ait, fuisse praemium permansionis Angelorum, *ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non possent.* Et D. Isidorus l. 1. de Summo Bono c. 12. *Gratia dicimus, non natura, esse immutabiles Angelos; nam si natura immutabiles essent, Diabolus non utique cecidisset.* Et D. Fulg. l. de fide ad Petr. c. 23. *Hoc ipsum, quod mutari in deterius non possint, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, gratiae Divinae largitate collatum.*

2.° Evertendo Adversariorum principium, ideo nempe esse immutabiles post electionem; quia eorum intellectus perfecte objectum apprehendit, omnesque rationes amoris, et odii attingit ante electionem; quidquid enim de hoc sit, profecto si ab apprehensis amoris, et odii rationibus nulla voluntati Angelicae necessitas imponitur ante electionem, nullam quoque illi imponi necessitatem, electione facta, dicendum est. Nulla autem ab apprehensis amoris, et odii rationibus voluntati Angelicae necessitas imponitur ante electionem; sed illis positis rationibus, potest Angelus alterutram partem eligere: Nec ulla ergo illi imponitur necessitas, electione facta, sed iisdem positis rationibus, potest ųunque suam mutare voluntatem. Utque idem brevius dicamus, si co-

rum eligendi modus non efficit, ut eorumdem voluntas immutabiliter objecto adhaereat ante electionem, neque etiam illum efficere, dicendum est, ut immutabiliter ei adhaereat post electionem. Diximus vero *quidquid sit de relato Adversariorum principio*, quod nempe Angeli cum perfecto consilio semper eligant, cognoscendo absque errore, cur objectum potius eligendum sit, quam non. Falsum namque hoc esse, manifestum fit ex eorum peccato, ut infra fusius declarabimus.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° D. Th. qu. 64. art. 2., ubi: *Angelus apprehendit immobiliter, sicut et nos apprehendimus prima principia; homo apprehendit mobiliter, discurrendo de uno ad aliud. Unde voluntas hominis adhaeret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, et contrario adhaerere; voluntas autem Angeli adhaeret fixe, et immobiliter.*

R. Laur. Berti, quod D. Th. exponendus est, Angelos Sanctos post electionem immobiliter Summo Bono adhaesisse ejus videndo essentiam, ita ut ad amandum Deum sint determinati, quomodo intellectus hominis ad prima principia, et voluntas ad bonum in communi. Idque, ut pergit, manifestum fit conferendo cit. locum cum art. 8. qu. 62. Daemones vero immobiliter quoque adhaesisse peccato, cum statim post lapsum ad sempiternum supplicium damnati fuerint, et totaliter privati cognitione affectiva, quae producit amorem Dei, ut docet art. praeced. Quia tamen per liberum arbitrium diversa media possunt eligere, adhuc proinde sunt in his flexibiles, et mutabiles, ut colligi potest ex resp. ad 3. ipsius art. 8.

Objic. 2.° D. Jo. Damasc. l. 2. c. 3., ubi ait, Daemonem non esse poenitentiae capacem, *quoniam corporis est expers.*

R. ejus mentem esse, quod Daemon statim damnatus, et Divina gratia destitutus fuit, quod ut corpore (inquit Petavius), sic imbecillitatis excusatione careret. Ait namque de Angelis SS.: *Difficulter in malum mobiles, sed non immobiles. Nunc vero et immobiles, non natura, sed gratia, et adhaesione ad id, quod solum bonum est.*

Objic. 3.° Cum Angeli, saltem quum non errant, ex perfecto consilio eligant, si postea desererent objectum, id absque ratione efficerent. Hoc absurdum: Saltem igitur, quum non errant, nequeunt objectum, cui adhaeserunt, amplius deserere.

R. neg. sequ. maj.; etenim cum supersit etiam post electionem ratio, ob quam poterant non eligere objectum, hinc si illud post electionem desererent, non absque ratione id efficerent.

CAPUT V.

De merito, et lapsu Angelorum.

Angelos in bonos, et malos dispesci, fides docet, ut sub initio hujus tract. ex Scripturis probavimus. Cumque item doceat contra Manichaeos, et Priscillianistas, quod omnes in suo exordio fuerunt boni, ut dicitur Gen. 1. illis verbis, *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona*: Et Ezech. 28., ubi sub figura Regis Tyriorum de Lucifero dicitur: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te*: Et Jo. 8., ubi de eodem dicitur: *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit*: quibus accedit definitio Later. IV., c. 1., quod *Diabolus, et alii Daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali*; nec non ratio, quia quidquid a Deo creatum est, nonnisi bonum ex natura sua esse poterat: cum (inquam) omnes in suo exordio ex fide fuerint boni, hinc praesens inter eos discrimen ex actu, quo boni libere Deo adhaeserunt, et mali eum libere aversati fuere, dicendum quoque est ex fide. Nec facessit illud Jo. ep. 1. c. 3. *Ab initio Diabolus peccat.* Illud namque *ab initio*, interprete D. Aug., sumi debet, non pro initio conditionis suae, sed conditionis hominis; sensumque esse, quod ex quo homo conditus est, semper peccat Diabolus, conando eum decipere.

Idem autem dictu est, quod praesens inter eos discrimen fuit ex praefato actu, quodque in suo exordio fuerunt in statu tam merendi, quam demerendi. Hunc vero viae statum brevem in iis fuisse, ex eo certum fit, quod antequam Adam peccasset, ipsi jam peccaverant, atque a

Coelo ceciderant; immo brevissimum, tum ex eo, quod Job 38. ait Dominus, ab omnibus filiis Dei, idest Angelis, laudatum fuisse tunc, quando *ponebat fundamenta terrae*, idest ab initio creationis Mundi; tum ex eo quod in secundo instanti creationis suae jam habuerunt, quod ad merendum, et demerendum requiritur, idest notitiam rerum, liberum arbitrium, et supernae gratiae adjutorium, atque ut actum amoris sui in Deum, vel in seipsos referrent; nec ullatenus constat, quod eorum voluntas mora aliqua temporali suspensa permanserit, deliberatura, quidnam eligeret, ac prosequeretur; dum simul constat ex 2. Pet. c: 2., quod iis *peccantibus Deus non pepercit*. Diximus *in secundo instanti*; prius enim concipiendus est Angelus in bonitate creatus, et cum adjutorio, ut in bono perseveraret, si vellet: 2.º concipitur actus, quo Angeli Sancti per actum deliberatum liberi arbitrii adhaeserunt Deo, ac mali a Deo recesserunt: 3.º demum retributio, in quo boni beatitudinem adepti sunt, ac mali in sempiternam miseriam ceciderunt.

Quibus praemissis, an cum gratia sanctificante conditi fuerint; an praeter illam necessaria illis fuerit, et collata gratia actualis ad bene agendum, et perseverandum, et an haec ex se fuerit efficax, vel versatilis; an eorum praedestinatio ad gloriam fuerit ex praevisis meritis, vel ante horum praevisionem; ac demum quinam fuerit lapsus Angelorum malorum, ac quonam duce, nec non cujus ordinis, et in quonam numero fuerint: en quae sequentibus propositionibus declaranda suscipimus. Sit igitur

Prop. I. Certum, et commune est, omnes Angelos ab initio, et instanti suae creationis gratiam sanctificantem accepisse. Est contra Magistrum Sent., aliosque non paucos, qui docuerunt, in justitia quadam naturali fuisse creatos, deinde vero per gratiam praevenientem ad Deum conversos, gratiam sanctificantem de congruo promeruisse.

Prob. Et 1.º ex c. 28. Ezech. supra relato, quem de Lucifero interpretantur, ut alibi diximus, D. Ambr. l. de Parad. c. 2; D. Aug. l. 11. de Civ. Dei c. 15.; D. Hier. in hunc ipsum locum; D. Greg. M. l. 22. Moral. c. 18., aliique communiter: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore . . in medio lapidum ignitorum ambulasti; perfectus in viis tuis a die*

conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te: ubi D. Aug. l. cit. per lapides ignitos intelligit Angelos charitate flagrantes: D. Greg. vero, *quid doni* (ait illic de Lucifero) *non habuit, si signaculum Dei similitudinis fuit?*

Accedit ex Scripturis quod supra laudavimus ex c. 8. Jo. *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.* Nomine autem veritatis sanctitatem ibi intelligi, docent nos Patres, quos inter D. Cyrill. l. 6. in Jo. c. 6., ubi: *In veritate non stetit, quia prolapsus est a veritate, nec manere voluit in sua originis sanctitate.* Nec non quod S. Iudas in sua ep. canon. dicit, reprobos Angelos *non servasse suum principatum.* Ille autem principatus intelligi nequit de principatu naturae; quare intelligi debet de principatu gratiae sanctificantis, quam in creatione acceperant, et a qua exciderunt.

2.° Ex PP.; addit namque D. Aug., qui satis sit, l. 12. De Civ. Dei c. 9., Angelos omnes fuisse a Deo creatos *cum bona voluntate, et casto amore.* Et paucis interjectis, pergit: *Erat Deus in eis simul condens naturam, et largiens gratiam.*

3.° Ratione; verisimile enim non est, Angelos creatos fuisse in minori perfectione, quam primum hominem. Hic autem, ut communiter TT. docent, in justitia, ac sanctitate creatus fuit; quod et Scriptura non obscure testatur Eccles. 7., *Deus* (inquiens) *fecit hominem rectum*, rectitudo enim in Scripturis gratiam, et sanctitatem significat; innuitque Trid. sess. 5., ubi ait, *Adam per peccatum justitiam, et sanctitatem perdidisse, in qua fuerat constitutus*; ac demum ratio suadet, quia enim si Adam in statu innocentiae perseverasset, omnes, qui ex eo nati essent, gratiam habuissent, quasi congenitam, profecto dicendum, ipsum Adam, qui eorum erat caput, illam ab initio suae conditionis habuisse: Idem ergo de Angelis asserendum esse, consequens est.

An autem gratia actualis praecesserit, tamquam dispositio, habitualem, seu sanctificantem, eo modo scilicet, quo in nobis eam praecedit, tamquam dispositio, actus contritionis perfectae, ita ut Angeli ad eam quoque se disposuerint eodem instanti, quo creati fuerunt, per actum amoris perfecti, disputant Theologi: Affirmant nonnulli, quos inter Tournelius tract. De Angelis qu. 8. art. 2., quia sanctificatio, quae fit per propriam dispositionem, nobilior,

et praestantior est, quam quae fit absque propria dispositione, cum semper, caeteris paribus, perfectius sit aliquid a se habere, saltem quodammodo, quam ab alio tantum; et esse saltem ex parte causam suae perfectionis, quam illam totaliter ab alio recipere. Multo magis, quia sicut homines adulti non recipiunt gratiam sanctificantem, nisi ad eam se disposuerint, eo quod libertatis usum habeant, quo carent parvuli, in quibus illa praevia dispositio non exigitur; ita quoque dicendum est de Angelis hoc ipso, quod cum perfecto usu liberi arbitrii conditi fuerunt. Non parum tamen difficile intellectu est, quomodo conditi fuerint in statu gratiae sanctificantis, ac nihilominus ad eam per gratiam actualem se disposuerint.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° illud Job 4., quod *Deus in Angelis suis reperit pravitatem*; ubi Hebraeus ita habet: *In Angelis suis non posuit laudem, vel lucem.* Gratia autem, et justitia id sunt, quod in Sacris litteris appellantur lumen, et lux; ut 1. Pet. c. 2: *Vocavit nos in admirabile lumen suum.* Et Eph. 5. *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux. Ut filii lucis ambulate*: Falsum ergo, quod in gratia sanctificante conditi fuerint.

R. 1.° praeferendam esse Vulgatae lectionem, maxime cum in hebraeo textu occurrat vocabulum *Tahalah*, quod lucem pariter, et stultitiam significat: 2.° quod etiam admissa lectione *in Angelis non posuit lucem*, ejus sensus esse potest, Angelos non habuisse, cum conditi fuerunt laudem, ac lucem consummatam, et perfectam; vel etiam possumus sic textum exponere: *Angelis non revelavit abscondita consilii sui*, nam et Chaldaeus vertit: *Prophetis non credet arcana.*

Objic. 2.° illud D. Aug. l. de corr., et gr. c. 10. *Sic Deum ordinasse Angelorum, et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suae gratiae beneficium.* Idem autem dictu est, Deum ostendere in illis voluisse, quid absque gratia posset eorum liberum arbitrium, ac non fuisse in gratia creatos: Non ergo in hac creati fuerunt.

R. neg. min., agit namque illic S. Doctor, non de gratia sanctificante, sed de gratia actuali, qua homo eget

in praesenti statu ad bene agendum, et perseverandum aitque, Deum in Angelis, et in primo homine *ostendere voluisse quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suae gratiae beneficium*, quia, ut lib. 2. tract. 11. cap. 2. prop. 6., resp. ad 4. et 5. p. 223., et sequ. cum Petavio, et Tournelio diximus, Angelis, et primo homini necessaria tantum fuit gratia intellectus, supernarum scilicet illustrationum ad cognoscendum bonum, nihil virium voluntati tribuens; cum enim voluntas ante lapsum fuerit sana, et robusta, jam sibi tunc sufficiebat, sive ut bonum cognitum per supernas illustrationes operaretur, sive ut in bono perseveraret. At post lapsum eget homo tam ad bene agendum, quam ad perseverandum et gratia intellectus, ei simul gratia voluntatis, quae scilicet ipsam voluntatem afficiat, influendo in eam, eique vires praebendo, quibus in hoc infirmitatis statu destituitur; secus, licet cognoverit bonum per gratiam intellectus, ejus tamen voluntas, tamquam infirma, et imbecillis, satis sibi non est, sive ad bene agendum, sive ad perseverandum. Hinc etiam S. D. gratiam prioris status vocat l. cit. c. 12. adjutorium, *sine quo*, idest sine quo voluntas non poterat velle perseverantiae bonum, quippe quod voluntas nihil velle potest, nisi antea ab intellectu illustrata fuerit: gratiam vero praesentis status vocat adjutorium *quo*, idest quo voluntas ipsum perseverantiae bonum vult, quippe quod, ut diximus, ipsam voluntatem afficit, eique vires, quibus destituitur, praebet. Sed et consulatur quod loco cit. hac super re scripsimus.

Prop. II. Angelis tam ad bene agendum, quam ad perseverandum necessaria fuit, iisque collata gratia actualis. Est commune, et certum.

Prob. Eam namque primo homini tam ad bene agendum, quam ad perseverandum necessariam fuisse, commune est, et certum. Eadem autem est ratio hac in parte Angeli, et hominis, sani: Et Angelis igitur eam necessariam fuisse, est dicendum. Sed et illam necessariam iis fuisse ad perseverandum confirmat 1.° ex Scripturis illud Ps. 142. Non *justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; in quae ita D. Hier. ep. 146. ad Damas. *Non dicit* omnis homo, *sed* omnis vivens, *idest non Evangelista, non Apostolus, non Propheta. Ad majora conscendo: Non Angeli, non Throni,*

non Dominationes, caeteraeque Virtutes. Solus Deus est, in quem peccatum non cadit. Caetera, cum sint liberi arbitrii, in utramque partem suam flectere possunt voluntatem. Nec non illud Luc. 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus*; in quae ita D. Aug. l. 3. cont. Maximin. c. 23. *Cuicumque creaturae rationali praestatur, ut peccare non possit, non est hoc naturae propriae, sed Dei gratiae.* Quare addit S. D. l. de corr. et gr. c. 11. *Quod adjutorium si vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine Divino adjutorio manere posset, si vellet, non utique sua culpa cecidissent, adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possunt.* 2.° auctoritate, et ratione D. Th. qu. 63. art. 1.: *Tam Angelus, quam quaecumque creatura rationalis, si in sua natura consideretur, potest peccare. Et cuicumque creaturae hoc convenit, ut peccare non possit, hoc habet ex dono gratiae, non ex conditione naturae.* Et sane, ut idem S. D. disserit, ut creatura rationalis non posset declinare a rectitudine in operando, deberet vel esse suimet regula, vel saltem cum regula recte operandi moraliter suapte natura esse conjuncta: quemadmodum nempe, ut manus Artificis declinare non posset a rectitudine in scindendo, deberet esse vel ipsa regula scindendi, vel cum regula scindendi ita esse conjuncta, ut ab ea declinare in scindendo non posset; quia enim regula scindendi non est ipsa manus, nec manus naturaliter conjungitur cum regula scindendi, ideo manus a rectitudine in scindendo potest declinare. Nulla autem creatura rationalis potest esse suimet regula operandi moraliter, quia haec est sola voluntas Divina, neque esse potest naturaliter conjuncta cum sua regula, nempe cum voluntate Divina, in operando moraliter, ut ab ea declinare non possit; sicut nec potest ita naturaliter conjungi cum esse, seu cum primo ente, ut absolute deelicare non possit ab esse: Nonnisi igitur ex dono gratiae esse potest, quod creatura rationalis a regula recte operandi non deflectat; quam proinde illi necessariam fuisse, consequens est.

3.° Illis necessarium fuisse tam ad bene agendum, quam ad perseverandum gratiae adjutorium, ex eo demum liquet, quod alioquin sequeretur, eos non indiguisse gratia ad consequendam beatitudinem; quod est

contra Ap. ad Rom. 6., ubi: *Gratia Dei vita aeterna*: nec non ex eo, quod nulla voluntas creata fieri potest in id, quod est supra naturam, nisi aliquo adjuta principio supernaturali, quod dicimus auxilium gratiae.

Quod vero iis fuerit collata, ex eo liquet, quod, ut fides docet, et suadet ratio, Deus impossibilia non jubet, nec jubere potest.

Prop. III. Gratia Angelis collata ad bene agendum, et perseverandum non fuit partim ex se efficax, partim sufficiens, sed omnibus fuit versatilis: bonorumque praedestinatio ad gloriam ex praevisis eorum meritis ex gratia. Ita nobis probabilius.

Probatur iisdem momentis, quibus in tract. de Scientia Dei, et de praedestinatione hominum ad gloriam idem probavimus de gratia, quae homini confertur ad bene agendum, et perseverandum, ac de ejusdem praedestinatione ad gloriam: eaedem namque sunt sententiae, eadem sunt litis dirimendae momenta, eaedemque occurrunt solvendae difficultates. Quibus tantum addimus ex D. Aug., quae S. D. peculiariter habet quoad 1.m l. de corr. et gr. c. 10. *Angeli, quorum Princeps Diabolus, per liberum arbitrium a Deo refugae facti sunt: caeteri autem per idem liberum arbitrium in veritate steterunt.* Quod et repetit c. 11. ; et 12. . Ex quibus manifeste sequitur quoad alterum, quod ex mente D. Aug. praedestinati a Deo fuerunt ad gloriam pro justitia, in qua eos per suum liberum arbitrium perseveraturos praeviderat; idem namque dictu est, quod efficacia gratiae Angelis concessae ad perseverandum fuit, in actu scilicet secundo, quid consequens eorum liberum arbitrium, quodque eorumdem praedestinatio ad gloriam fuerit etiam quid consequens praevisionem, quod per eorum liberum arbitrium in veritate perseveraturi essent.

Prop: IV. Angeli, qui dicuntur mali, tales effecti sunt per peccatum; idque est de fide. Illud vero fuisse superbiae, ac duce omnium Angelorum supremo, eumque sequentibus pluribus omnium ordinum Angelis, in minori tamen numero, quam fuerint Angeli stantes; commune est apud DD.

Prob. 1. et 2. pars. Quod enim peccaverint, et per peccatum a gratia exciderint, luculenter ex Scripturis constat; pro quibus hic sufficiant illa D. Petri verba ep. 2. c. 2. *Deus peccantibus Angelis non pepercit, sed*

rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos: quodque absque culpa, et quidem gravi, *aeterno igni*, ut dicitur Matth. 25., *vinculisque aeternis*, ut dicitur in Canonica D. Judae epistola c. 2., a Deo Optimo, et justissimo mancipati non fuissent.

Quod vero eorum peccatum fuerit superbiae, satis quoque testantur 1.° Scripturae; ut Tob. 4. *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsi omnis perditio.* Job. 41., ubi, tamquam principale Diaboli peccatum, recensetur superbia his verbis: *Ipse est Rex super omnes filios superbiae.* Lucae 10., ubi leguntur illa Christi verba ad discipulos suos, ne umquam superbia extollerentur, utque a quovis gloriolae motu se caverent: *Videbam Satanam, sicut fulgur, de Coelo cadentem.* Apost. 1. ad Tim. c. 3., ubi ab Episcopatu arcens neophitum, *ne in superbiam* (ait) *elatus in judicium incidat Diaboli*, idest in poenam, quam ob superbiam Lucifer pendit. Ad quod demum referunt communiter DD. tum illa Jsaiae verba de Rege Babylonis: *Detracta est ad inferos superbia tua. Quomodo cecidisti de Coelo Lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo: In Coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo* (14.), quem scilicet Isaiae locum de Diaboli peccato intelligit D. Aug. *l.* 3. *de Doctr. Christ. c.* 37.; D. Greg. M. *hom.* 34. *in Ev.*; et D. Bern. *ser.* 38 *in Cant.*: tum illa Ezechielis c. 28., quibus sub figura Regis Tyriorum Angelorum Principem describi, omnes fere PP. inquiunt: *Elevatum est cor tuum, et dixisti, Deus ego sum.*

2.° Patres; ut Chrysost. hom. 3. in Jo. *Angelus per superbiam factus est Diabolus.* D. Athan. in or. de Virg. *Superbia ipsum in inferiores abyssi partes praecipitavit.* D. Ambr. ep. 84. *In lapsu Diaboli, et hominis praevaricatione initium peccati fuit superbia.* D. Aug. l. 11. de Gen. ad litt. c. 23. *In veritate non stetit superbiae merito.* Quibus et caeteri concinunt.

3.° Multiplici ratione; 1.° enim nihil aliud est superbia, nisi inordinatus propriae excellentiae amor. Hoc autem inordinato amore Angelum corruisse, ex eo evincitur, 1.° quod quisquis peccat avertit se ab incommutabili bono, vertitque ad aliquod creatum, et mutabile; cumque Angelus non potuerit se convertere ad res

corporeas, quarum delectatione non capitur, sed ad semetipsum, dicendum proinde est, eum peccasse prava propriae potestatis delectatione; *quod vitium* (ait D. Aug. l. 12. De Civ. Dei c. 6.) *quid aliud, quam superbia nuncupatur?* 2.° ex eo quod in spiritualibus, quae secundum se bona sunt, appetendis, nequit esse peccatum, nisi quatenus appetantur contra regulam, aut praeceptum Superioris. Huic autem non subdi in eo, quod debetur, est peccatum superbiae. 3.° ex eo quod, ut scribit D. Jo. Damasc. l. 11. c. 3., ad nullum peccatum pronior est spiritus, quam ad superbiam; quamvis enim inveniri in eo possint invidia, malevolentia, ac pleraque alia, haec tamen amorem proprium consequuntur; cum ex. gr. nemini soleat quis invidere, nisi propriae potestatis ita afficiatur amore, ut nullum sibi dignitate compatiatur aequalem; etc.

Hanc autem eorum superbiam fuisse, quod aequalitatem cum Deo appetierint, satis et innuunt Scripturae; ut ubi Js. 14. Satan in persona Regis Babylonis legitur dixisse: *Similis ero Altissimo*. Et Ezech. 28. irridetur, quod dixerit: *Deus ego sum*. Ac demum ubi Ap. de Christo loquens ad Phil. 2., ait: *Non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo*, ut Diabolus nempe arbitratus fuerat. Quomodo tamen illam appetierint, non una est DD. sententia; illam namque nec appetiisse, nec potuisse appetere absolute, ex eo patet, quod talis appetitus, utpote rei evidenter impossibilis, nedum in Angelum cadere nequit, sed neque in hominem, nisi amens sit, cadere potest. Docent proinde Scotus, Vasquesius, aliique, quod illam appetierint conditionate, si id nempe esset possibile. Alii, quod illam appetierint, quatenus accepta divinitus revelatione de hypostatica Verbi Divini unione aliquando facienda cum natura humana, hanc unionem sibi ex superbia expetierint, et Christo Domino inviderint. Alii demum omnium probabilissime, quod illam appetierint, quatenus Deo subjecti esse noluerint, sed independentiam ab ejus imperio concupiverint, eoque modo similitudinem cum Deo, qui ab omni subjectione, et imperio est independens, affectaverint. Ita profecto D. Aug. l. 11. De Civ. Dei c. 13., ubi de Diabolo dicit, quod *recusavit suo subditus esse Creatori, et superbia sua, velut auctoritate privata, elatus est*. Et D. Greg. M. l. 34. Mor. c. 13. *Ei, a quo con-*

ditus fuerat, subesse, despexit. Ita enim Deus super omnia est, ut ipse sub nullo sit. Leviathan vero iste ejus celsitudinis culmen aspiciens jus perversae libertatis appetiit.

Prob. 3., 4., et 5. pars. Quod enim supremus inter Angelos peccantes fuerit etiam supremus inter omnes Angelos, probatur 1.° ex c. 31. Ezech., ubi: *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei. Omne lignum Paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini ejus*; in quae ita D. Greg. M. l. 32. Mor. c. 23. *Ista arbor in Paradiso Dei tot quasi frondes condensas habuit, quot sub se positas Supernorum Spirituum legiones attendit. Qui idcirco peccans sine venia damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus.* Cui accedit illud Luc. 11., ubi Beelzebub vocatur Princeps Daemoniorum.

2.° Ex PP.; nam Tertull. l. cont. Marcion. c. 10. vocat Luciferum *Eminentissimum Angelorum*; D. Chrys. hom. de Adam, et Eva *primum, et de culmine Angelico praecipitatum*; D. Hier. l. 2. cont. Jovinian. *altissimam sublimitatem*; D. Greg. M. l. 23. Mor. c. 18. *reliquis Angelis eminentiorem.*

Eo autem duce, alios peccasse, evincitur ex c. 12 Apoc., ubi dicitur de magno Dracone figura Diaboli: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem Stellarum.* Et ex c. 25. Matth., ubi dicitur ignis aeteernus *paratus Diabolo, et Angelis ejus*; quae verba innuunt, Luciferum fuisse auctorem defectionis Angelicae. Quod et confirmant quae sub typo Regis Babylonis dicit Isaias c. 14., nec non quae ait Ezechiel sub typo Regis Assur c. 31. *Æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quae erant in Paradiso Dei.*

Eos item, qui ceciderunt, ex omnibus ordinibus fuisse, nemo ibit inficias, qui advertat, eorum omnium supremum, ut supra ostendimus, fuisse ex ordine Seraphim: quodque Apostolus ad Rom. 8. inter humani generis hostes recenset Angelos, Principatus, et Virtutes, dicens: *Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.* Et 1. ad Cor. 15. addit Potestates, dicens: *Cum evacuaverit omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem.* Cum autem Archangeli, et Dominationes, et Throni, et Cherubim sint Seraphim

inferiores, probabiliter inde infertur, aliquos etiam ex istis, et consequenter ex quocumque Angelorum ordine cecidisse.

Quos demum fuisse in minori numero, quam Angelos stantes, ex relato Apoc. loco, quod Draco secum traxit tertiam dumtaxat stellarum partem, satis liquet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. cont. 1. partem. Cujusvis peccati origo aut est mentis ignorantia, aut prava aliqua inclinatio. Neutrum autem ponitur a nobis in Angelis, quum fuerunt conditi: Nec igitur peccare potuerunt.

R. 1. neg maj, quamvis enim locum in eis non habuerit sive ulla mentis ignorantia, sive prava aliqua inclinatio, plena tamen potestate arbitrii praediti erant, poterant aliquid non perfecte considerare, poterant sui ipsius amori nimis indulgere, quia simul mutabilis, ac defectibilis naturae; idque fuit eorum peccati causa.

2.° Dist. min.; si enim ignorantia sumatur pro defectu cognitionis necessariae peccatum praecedente, error vero pro judicio praevio. quo judicatur verum, quod est falsum, et vicissim, dicendum profecto est, Angelorum peccatum nec ex ignorantia, nec ex errore fuisse, etenim ignorantia, et error hoc modo sumpta locum in iis non habuere ante peccatum, sed post peccatum, quemadmodum docent D. Aug., D. Th., caeterique Theologi. Si vero pro ignorantia sumatur actualis inconsideratio, qua quis non attendit, neque actu considerat, quae posset, ac deberet considerare, sicut pro errore illud judicium practicum, quo peccator judicat, actum peccati sibi esse bonum, atque a se eliciendum, utique conceditur, peccatum quoque Angelorum ex ignorantia, atque errore fuisse; 1.° enim indistincte dicitur Prov. 14. *Errant, qui operantur malum.* 2.° quia, ut D. Th. docet multis in locis, nequit peccatum esse in voluntate, nisi sit aliquo modo deceptio in intellectu. 3.° quia cum voluntas sit appetitus rationalis, ideoque nequeat eligere, nisi quod ratio judicaverit eligendum, alias non rationalis, sed plane temeraria; et caeca esset electio, numquam proinde voluntas peccat eligendo, quin ratio aberret judicando

Et Angelos ergo dicendum est, quod ex ignorantia, et errore peccaverint, ita nempe, ut declarat Estius in 4 Dist. 6. §. 1., et Dist. 22. §. 21., *ut ignorantia illa, sive inconside atio, sive error, secundum quem omnis peccans ignorat, et errat, non fuerit proprie causa peccati, sed potius pars peccati ipsius. Nam omne peccatum quasi duabus illis partibus constat, et consummatur, inconsideratione scilicet, aut falso judicio, et electione mala.*

Objic. cont. 3. partem, quod c. 28. Ezech. Lucifer, qui cecidit, vocatur Cherubim: *Tu Cherub extentus et protegens in monte Sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti.* Ad summum igitur ex ordine Cherubim, qui non sunt supremus Angelorum ordo.

R. neg. cons.; quod enim fuerit ex ordine Seraphim, horumque omnium primus, ex relatis ipsis verbis non obscure colligitur: *In medio lapidum ignitorum ambulasti; quia* nempe (ut explicat D. Greg. M. l. 32. Mor. c. 23.) *inter Angelorum corda charitatis igne succensa clarus gloria conditionis extitit.* Cherub vero dicitur 1.°, ut advertit D. Greg. M. l. cit., *quia transcendisse cunctos scientia non dubitatur, et comparatione charitatis suae caeterorum charitatem adumbrasse creditur.* 2.°, ut addit D. Th. a. 7. ad 1., quia scientia, quae peculiariter tribuitur Cherubim, potest esse cum mortali peccato, non tamen ardor charitatis, qui peculiariter Seraphim tribuitur: *Et ideo* (concludit S. D.) primus Angelus *peccans non est denominatus Seraphim, sed Cherubim.*

CAPUT VI.

De Angelorum malorum statu.

Quidnam consecuti fuerint Angeli boni, seu quonam beatitudinis genere in praemium suae fidelitatis fruantur, satis declaratum fuit ubi de visione Dei. Declarandum ergo est dumtaxat, quomodo mulctati fuerint mali; in quem nempe locum detrusi, et quanam ibi poena puniantur. Qua super re en quae sunt totidem propositionibus evolvenda: 1.° an omnes mali Angeli statim post admissum peccatum in Tartarum re-

legati fuerint, vel nonnulli ex iis adhuc super terram, vel in medio aere versentur? 2.° an, posito, quod nonnulli ex iis adhuc versentur super terram, vel in medio aere, et hi tamen ex eo tempore, quo peccaverunt, damnationis suae poenam luant, vel post ultimum judicii diem illis fuerit dilata? 3.° an ignis supplicium, quo mulctati fuere, habiturum numquam sit finem? 4.° an ignis ille, cui addicti fuerunt, credendus sit materialis, et corporeus? 5.° quomodo, si materialis sit, et corporeus, ex illo tamen, quamvis puri spiritus, crucientur? 6.° an in statu miserrimo, in quo reperiuntur, sint alicujus moralis boni, sin moraliter, saltem physice capaces; ac licet in malo obfirmati, semper peccent, nec tantum peccent, sed et demereantur? Demum an locus, in quem Daemones detrusi sunt, cumque iis caeteri damnati detinentur, sit locus quidam determinatus, et quinam hic sit? En igitur quae totidem propositionibus evolvenda suscipimus. Sit igitur

Prop. I. Non omnes mali Angeli, seu Daemones statim post admissum peccatum in Tartarum relegati fuerunt, sed nonnulli ex iis adhuc super terram, vel in medio aere versantur. Est commune.

Prob. Et 1.° ex Script., ut ex Job. 1., et 2., ubi Satan Deo respondet: *Circuivi terram, et perambulavi eam.* Ex ep. ad Eph. 2., ubi Apostolus Diabolum appellat *principem potestatis aeris hujus.* Et c. 6., ubi vocat Daemones *Mundi rectores tenebrarum harum.* Ex ep. 1. Pet. c. 5., ubi Apostolorum Princeps scribit, quod *Diabolus circuit quaerens quem devoret.* Quibus accedunt et obsessio hominum a Daemonibus, et tentatio, qua illos ad peccandum sollicitant, ut non raro legitur in Scripturis.

2.° Ex PP.; ita enim Athenagoras in legat. pro Christianis: *Hi igitur Angeli, qui cum Coelis excidissent, circa aerem, et terram oberrantes, nôn amplius evehi supra Coelos possunt.* Ita etiam D. Hier. in Comm. ep. D. Pauli ad Eph., ubi explicans illa verba c. 7. *Contra spiritualia nequitiae in Coelestibus*, vocabulum *coelestium* de aere interpretatur, et subdit: *Haec autem omnium DD. opinio est, quod aer iste, qui Coelum, et terram medius dividens inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus.* Ita etiam

D. Aug. tum l. 3. de Gen. ad litt. c. 10., tum l. 8. De Civ. Dei c. 22., ubi de malignis illis Spiritibus scribit, *esse spiritus nocendi cupidissimos, a justitia penitus alienos, superbia tumidos, invidentia lividos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aere habitant.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod D. Pet. ep. 2. c. 2. ait: *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Quodque et dicitur Judae ep. c. 2. *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Omnes igitur, dicendum, in Infernum detrusos fuisse, absque eo quod aliquis vel in aere, vel super terram habitet.

R. neg. cons., vel enim in relatis locis nomen inferni, et caliginis accipiendum est pro aere, qui comparate ad Coelum merito dicitur tartarus, abyssus, infernus, ut explicant D. Aug. in Ps. 149., et D. Greg. l. 13. Mor. c. 17.; vel dicendum saltem, quod multi ex iis, qui primum in inferos dejecti sunt, occulto Dei judicio identidem ex iis exeant ad homines tentandos: nisi enim hoc pacto relata loca exponantur, nusquam conciliari poterunt cum aliis supra allatis, in quibus Daemones diserte dicuntur circuire terram, tentare, et obsidere homines, etc.

Objic. 2.° Tam necesse est, omnes Daemones esse in Inferno, quam omnes bonos Angelos in Coelo. Hi autem omnes in Coelo sunt: Ergo et omnes Daemones in Inferno.

R. dist. min., quod nempe omnes boni Angeli sunt in Coelo, quatenus omnes intuitiva Dei visione semper fruuntur, non vero quatenus nemo eorum versetur quoque super Terram ad custodiam hominum, etc.; ex qua proinde comparatione nihil prorsus conficitur contra id, quod diximus.

Prop. II. Daemones omnes ex illo ipso tempore, quo peccaverunt, damnationis suae poenam patiuntur. Est quoque commune.

Prob. Et 1.° ex Script., ut ex supra relatis ver-

bis D. Pet. c. 2: *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*; ubi notandum, quod de omnibus absque exceptione non ait *tradet*, ac *detracturos*, sed *tradidit*, ac *detractos*. Jam ergo ex eo tempore cruciantur, licet quidam ex iis vel in terris, vel in aere versentur. Item ex Jacobi ep. c. 3., ubi: *Lingua constituitur in membris nostris; quae maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostrae inflammata a gehenna*, idest *a Diabolo*, qui dicitur *gehenna*, quia semper obligatus est gehennae igni, ut explicat Beda in hunc l. *A gehenna, idest a Diabolo, et Angelis ejus, propter quos gehenna facta est, quia ubicumque vel in aere volitant, vel in terris, aut sub terris vagantur, sive detinentur, suarum semper secum ferunt tormenta flammarum; instar febricitantis, qui etsi in lectis eburneis, etsi in locis ponatur apricis, fervorem tamen, vel frigus insiti sibi languoris evitare non potest. Sic ergo Daemones, etsi in Templis colantur auratis, etsi per aera discurrant, igne semper ardent gehennali.*

2.° Ex ratione; 1.° enim si bonis Angelis statim fidelitatis suae mercedem Deus rependit, malis quoque dicendum est, statim rebellionis suae poenam rependisse. Primum autem extra dubium est, ajente Christo Matth. 18., quod *Angeli* (ipsorum pusillorum Custodes) *in Coelis semper vident faciem Patris*: Et aliud igitur extra dubium dicendum est. 2.° si Daemones non sunt amplius in statu viae ad merendum quidquam, vel agendam poenitentiam, nulla suppetit ratio, cur iis debitum supplicium dilatum dicatur. In statu autem viae ad merendum quidquam, vel agendam poenitentiam amplius non sunt: Neque igitur dicendum, quod debitum iis supplicium dilatum fuerit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° illud Matth. 8., ubi Daemones Christo inquiunt: *Venisti ante tempus torquere nos*. Ergo nondum torquentur. Et Luc. 6. illum rogant; *ne in abyssum* (idest in infernum) *mittantur*. Nondum ergo ibi cruciabantur.

R., tormentum, de quo utrobique sermo agitur, aliud non erat, quam quod per Christum ita ab hominibus ejiciebantur, ut non ita facile potestatem deinde haberent homines vexandi; ut dicitur et Jo. 12. *Nunc princeps hujus Mundi ejicietur foras.* Et Apoc. 12. *Nunc facta est salus, et virtus, et Regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum.* Hinc relato Lucae loco sic unus ex Daemonibus Christum alloquitur: *Obsecro te, ne me torqueas; praecipiebat enim* (ait Evangelista) *spiritui immundo, ut exiret ab homine.* Ratio vero est, quia cum sint nocendi cupidissimi, ut ait supra D. Aug., tormentum eorum est, quod hominibus nocere nequeant.

Objic. 2.° illud Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus.* Et Ap. 1. ad Cor. 6. *Nescitis* (ait), *quoniam Angelos judicabimus?* Nondum ergo igne uruntur, nondum judicati sunt.

R., 1.m dici ad significandum, eamdem esse impiorum hominum poenam, quae data est Angelis apostatis. Alterum dici, vel quia cum Viri sancti fuerint in hac vita Daemonum victores, illis proinde in judicio insultabunt, idque erit iisdem superbissimis molestissimum; vel quia Apostoli futuri sunt Christo quasi Assessores, quando omnes judicabit.

Objic. 3.° D. Hier. in c. 25. Is., ubi: *Hos igitur principes, qui suum non servaverunt gradum, congregabit Dominus in die judicii, et mittet in lacum inferni, et includentur in carcere, juxta illud, quod ait Dominus: Ite in ignem aeternum, qui praeparatus est Diabolo, et Angelis ejus.* Nec non D. Greg. M. l. 4. Mor. c. 10. *Antiquus hostis, nequitiae suae vinculis adstrictus, aliud est, quod nunc patitur; aliud, quod in fine patietur, quia superbiae ejus supplicia, non solum omnimoda, sed etiam infinita praeparantur.* Similiter et alii ex PP.

R., tam Hier., quam Greg., aliosque PP. intelligendos esse hoc sensu, quod Daemones ante finalis judicii diem principali quidem poena crucientur; sed plenius postea, quam antea, comburendos, et miseriores fore per accessionem aliarum poenarum: quam poenarum accessionem adeo timent, ut in exorcismis nulla re magis torqueri videantur, quam futuri judicii com-

minatione, unde exorcismi fere omnes his verbis concludi solent: *Per eum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem.* Hinc quoque in coeremoniis Ecclesiae, quae baptismo praemittuntur, haec inter exorcizandum dicuntur Diabolo: *Nec te lateat, imminere tibi poenas, tormenta, diem judicii, diem supplicii sempiterni, qui venturus est, velut clibanus ardens, in quo tibi, et universis Angelis tuis aeternus veniet interitus; et ideo pro tua nequitia, damnate, et damnande, da honorem Deo.* Per quae significatur, eum jam torqueri in Inferno, propter quod dicitur *damnatus*; sed poenarum suarum complementum tunc accepturum fore, propter quod dicitur *damnandus*.

Caeterum, etsi dicatur, laudatos PP., aliosque docuisse, Daemones nondum igni, extremoque supplicio traditos, hinc solum sequitur, quod non debet, ut scribit Petavius, haereseos, vel erroris nota id inuri. Quod confirmat, 1.° quia nullum hactenus Concilium expresse definiit, Daemones extrema illa supplicia perpeti, quae parata illis dicuntur. 2.° quia Florentinum de hominibus statuit in Decreto fidei, eos, qui in peccato mortali decesserint, in Infernum detrudi, ibique poenas luere sibi debitas; de Daemonibus vero omnino tacuit. 3.° quia D. Thomas, relata eorum opinione, qui inquiunt, *usque ad diem Judicii differri poenam sensibilem tam Daemonum, quam animarum, et similiter beatitudinem Sanctorum differri usque ad diem Judicii*, hoc secundum docet esse erroreum, et subdit: *Alii vero, licet hoc non concedant de animabus, concedunt tamen de Daemonibus*; cui sententiae nullam tribuit haereseos, vel erroris notam, aitque dumtaxat, *melius esse dicendum, quod idem judicium sit de malis animabus, et malis Angelis, sicut idem judicium est de bonis animabus, et de bonis Angelis* (1. p. q. 64. a. 4.).

Prop. III. Ignis supplicium, quo Daemones, cumque iis reprobi cruciantur, habiturum numquam est finem. *Est de fide contra Origenem, qui id negavit, testibus D. Hier. ep. 59. ad Avitum, et D. Aug. l. de haeresibus c. 43.; quem deinde et alii saec. VII. secuti fuere, ac novissime Sociniani postremis hisce temporibus, ajentes, aequum non fore Dei judicium, si crea-*

turas ob unum vel cogitationis peccatum lethale aeternis suppliciis addiceret.

Prob. Et 1.º ex Script.; ut ex illis Js. verbis c. 66. *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur*; in quae ita D. Aug. l. cont. Priscillianistas, et Origenistas c. 5. *Qualiscumque poena significata sit nomine vermis, atque ignis, certe si non morietur, nec extinguetur, sine fine praedicta est; nec aliud agebat Propheta, cum hoc diceret, nisi ut eam sine fine praediceret.* Item ex verbis, quae reprobis, electisque dicuntur c. 25. Matth. *Discedite . . in ignem aeternum . . . . Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam*; in quae ita idem S. D. loco cit.: *Si misericordia nos provocat credere, non futurum impiorum sine fine supplicium, quid de praemio justorum dicturi sumus, cum in utraque parte, eodem loco, eadem sententia, eodem verbo pronuncietur aeternitas?* Cui accedit, ut idem S. D. advertit, quod ne diceretur, *ignem esse aeternum, non ipsam combustionem aeternam, Dominus sententiam suam conclusit sic: Ibunt illi in combustionem aeternam, justi autem in vitam aeternam. Erit ergo combustio aeterna, sicut ignis.* Hinc et D. Hier. in eumdem locum: *Prudens lector adverte, quod et supplicia aeterna sint, et vita perpetua metum deinceps non habeat minarum.* Item ex 2. ad Thess. 1. *Poenas dabunt in interitu aeternas.* Et Apoc. 20. *Cruciabuntur die, ac nocte in saecula saeculorum.* Quibus similia alia etiam in Sacris litteris passim habentur.

2.º Ex Conciliis; ut ex Gen. V. Constantinopoli secundo habito, anathematismo 9. *Si quis dicit, aut sentit, ad tempus esse Daemonum, et impiorum hominum supplicium, ejusque finem aliquando futurum, anathema sit.* Nec non ex Lat. IV. c. *Firmiter*, ubi dicitur, *reprobos cum Diabolo in poenam aeternam ituros.* Et ex Trid. sess. 6. can. 25., et sess. 14. can. 5., ubi et dicitur, reproborum supplicia numquam finem esse habitura. Quibus accedit Symbolum, quod appellatur Athanasianum: *Et qui bona egerunt ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum: haec est fides catholica.*

3.º Ex praxi Ecclesiae, qua constat, nec pro Dia-

bolo, et Angelis ejus, nec pro hominibus damnatis orari posse, vel sacrificium offerri. Utrumque autem liceret, si eorum damnatio finem aliquando esset habitura, quemadmodum nempe id licet pro animabus in Purgatorio detentis: Numquam ergo eorum damnatio finem habitura est.

4.º Ex ratione; 1.º enim, ut D. Hier. disserit in c. 3. Jonae, *si longos post circuitus restitutio fiet, quae distantia erit inter virginem, et prostibulum? Quae differentia inter Matrem Domini, et quod dictu quoque scelus est, victimas libidinum publicarum? Idem Apostoli, et Daemones? Idem Prophetae, et Pseudoprophetae? Idem Martyres, et persecutores? Finge quoslibet annos, et tempora duplica, et infinitas aetates congere: si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est, quia non quaerimus, quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus.* 2.º Quia an non decebat Dei Providentiam, ut hominum malitiae efficax fraenum objiceret? Quaenam autem scelerum illuvies, socialis ordinis perturbatrix, et hostis, terram cooperit, poenarum aeternarum scelestis minitarum metu neutiquam obstante? Hoc igitur sublato, et Regna, et Civitates, et domus sceleribus undique redundassent, nec aliud fuissent, nisi omnium iniquitatum magnum, horrendumque chaos; quare aeternas poenas scelestis statuere debuisse, consequens est: *Se il timore degli eterni gastighi* (ita quoque hac super re Abb. Flexier) *non frena, che appena gli uomini nella carriera de' loro desiderj; passeggieri supplizj sarebbero stati assolutamente insufficienti, e quindi indegni della Sapienza del Sovrano Legislatore* (*Diz. Filos. t.* 3. *art.* 7. §. 3.). 3.º Cum Deus sit infinite bonus, infinito debet odio quodvis peccatum prosequi. Si autem odio infinito quodvis peccatum prosequitur, poenam quoque huic odio proportionatam, ideoque infinitam, seu aeternam dicendum est illi parasse: *Quis enim* (ajebat Tertull. contra Marcionem) *boni Auctor, nisi qui inimicus mali? Et quis inimicus mali, nisi qui et expugnator? Quis autem expugnator, nisi qui et punitor?* Ejusmodi ergo poenam, seu aeternam illi parasse, est dicendum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° ex Script. et illud Marci ult. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et illud Jo. 6. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Et illud Ap. 1. ad Cor. 3., fideles omnes salvos futuros, *sic tamen quasi per ignem.* Dicitur quoque Deut. 25., quod *pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Et Lucae 12. dicitur, quod cruciabuntur impii in inferis, *donec novissimum minutum reddant.* Cui et concinit illud Apoc. 16. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum.* Hoc autem fuit ad tempus: Et poena igitur non erit, nisi ad tempus. Demum Regius Psaltes Ps. 76. *Numquid* (ait) *in aeternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet? Aut obliviscetur misereri Deus? Aut non continebit in ira sua misericordias suas?*

R. explicando textus: quod nempe *salvus erit, qui crediderit, et baptizatus fuerit*, ac praeterea impleverit quod scriptum est Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hinc ita D. Jac. in sua ep. Canonica: *Quid proderit, si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?. Fides sine operibus mortua est.* Habet quoque vitam aeternam, qui Christi carnem manducat, si tamen et digne illam manducat, secus namque, ut ait Ap. 1. ad Cor. 11., *reus erit corporis, et sanguinis Domini*, ac *judicium sibi manducat, et bibit*; et postquam illam non indigne manducaverit, perseverat item *usque in finem*; *hic enim salvus erit* (*Matth.* 10). Item fidelis aedificans super fundamentum, quod est Christi fides dilectione informata, *foenum, ligna, stipulam*, idest, ut explicat D. Aug. in l. quaest. ad Dulcit. c. 1., fidelis, qui carnali quodam praepeditus affectu deliquerit venialiter, *salvus erit per ignem*, sive in hac vita per tolerantiam tribulationum, sive in altera per ignem Purgatorii. At qui fundamentum non habens, fidem scilicet, et dilectionem, *homicidium, adulterium, fornicationem, et similia quaeque commiserit, non propter fundamentum per ignem salvabitur, sed amisso fundamento aeterno igne torquebitur.* Utique tamen *pro*

mensura peccati erit et plagarum modus, nonne enim, ut ait D. Th., *tanto offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur?* Iustum ergo est, ut poena finem non habente, seu aeterna, puniatur peccatum, utpote habens, ut idem S. D. disserit, *quamdam infinitatem ex infinitate Divinae Majestatis.* Verba vero, quae ex Luca sunt deprompta, recte accipi possunt de igne Purgatorio: ac si accipiantur de Infernali, nemo nescit, particulam *donec* interdum quoque aequivalere et *interea*, idemque significare, quod *numquam*, ut Gen. 8. *Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquae.* Et Ps. 109. *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et Matth. 1. dicitur de D. Joseph: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Demum quae dicuntur de infinita Dei Misericordia, intelligenda sunt de iis, qui repisiscunt, et ad Eum conversi, agunt scelerum suorum poenitentiam, nam si moriantur impoenitentes, tum commissa flagitia, tum ipsa impoenitentia, et voluntaria obduratio merito aeternis suppliciis punitur.

Objic. 2.° Quaevis poena proportionem habere debet cum culpa, ob quam infligitur. Porro peccatum temporaneum est, immo aliquando momentaneum, cum quo idcirco poena, quae finem non habeat, idest aeterna, nulla adest proportio: Poena igitur ejusmodi nec plectitur, nec plecti potest.

R. 1.° dist. maj.; quod nempe quaevis poena proportionem habere debet cum culpa quoad gravitatem, non vero quoad durationem: *Nulla enim umquam justitia* (ut D. Aug. scribit l. 21. De Civ. Dei c. 11.), *nec lex decrevit, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis, unde puniretur, admisit.* Et pergit: *Octo genera poenarum in legibus esse, scribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem. Quid horum est, quod in breve tempus pro cujuscumque peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum?* Qua super re ita quoque praeclare D. Th. 1. 2. q. 87. a. 3. ad 1. *In nullo judicio requiritur, ut poena adaequetur culpae secundum durationem, non enim quia adulterium, vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea poena punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere,*

vel exilio, quandoque etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora, sed potius, quod in perpetuum auferatur a societate viventium, et sic repraesentat suo modo aeternitatem sic inflictae Divinitus. Quod si poena proportionem habere debet cum culpa hoc tantum sensu, quod gravitas supplicii respondere debet gravitati culpae, adeo juste quodvis peccatum lethale poena eterna plectitur, ut si Infernales poenae finem aliquando haberent, deesset inter culpae gravitatem, et poenam debita proportio, quippe quod culpae gravitas esset infinita, *tanto enim* (ut supra diximus cum D. Th.) *offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur*, ex quo idem S. D. infert, quodvis *peccatum quamdam infinitatem habere ex infinitate Divinae Majestatis*, poena vero esset finita, quia haberet finem: *Un peccato* (ita Abb. Flex. l. c.) *è di una infinita malizia relativamente all' oggetto, che oltraggia. Merita dunque una pena infinita: e poichè questa pena non può consistere nella grandezza de' patimenti, che necessariamente è finita, è cosa ragionevole di consistere in una durata infinita.*

R. 2.º dist. min., quod nempe peccatum temporaneum est quoad suum esse physicum, non vero quoad suum esse morale: quicumque enim lethaliter peccat, ponitur in statu, quantum in se est, infinite Deo abominabili, a quo numquam subtrahere se poterit, nisi a Dei Misericordia, et benignitate praeveniatur, et adjuvetur. Quod si perpetuo, quantum in se est, in hujusmodi statu constituitur, nonne juste etiam perpetua ipsi poena debetur? Id vero maxime, hac mortali vita exacta: homine enim in statu termini constituto, *se il suo peccato* (ita idem Flex. l. c.) *non mai finisce, la pena del peccato neppur dee finire. Or nel soggiorno della disperazione, della bestemmia, della impenitenza la più consumata, e la più immutabile, chi mai cancellerà i nostri delitti, chi riformerà i nostri costumi, chi renderà la purezza alle anime nostre?* Cui accedit, peccatum temporaneum quidem esse quoad factum, non vero quoad affectum: quicumque enim lethaliter peccat, ita etiam peccati objecto adhaeret, saltem *in actu peccati*, ut pro eo parvipendat Deum aeternum, praemium aeternum, poenamque aeternam. Quis proinde non videt, affectu, quod aeterno nedum aequivalet,

sed et praestat, ab eo amari ipsum peccati objectum? Cui etiam accedit, ut D. Greg. M. l. 34. Moralium advertit, quod iniqui *ideo cum fine delinquunt, quia cum fine vivunt, vellent quippe sine fine vivere, ut sine fine possent in suis iniquitatibus permanere. Sono* (ait Abb. Flex. l. cit.) *un fanciullo, che gioca al lume della candela. La candela si estingue; e piange il momento, che da fine al suo gioco. Sono un navigante, che costeggia una incantevole riva, e vi si vuol fissare. La corrente dell' acque lo trasporta suo malgrado nel vasto oceano, ove la terra di sue delizie scomparisce a suoi occhi, non lasciandogli, che desiderj, e cordogli.* Pergit proinde S. D. *Ad districti ergo Judicis justitiam pertinet, ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato; et nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu voluit, noluit habere terminum criminis.*

R. 3.° neg. cons.; si enim nulla adest inter peccatum, utpote quod temporaneum, poenamque aeternam proportio, neque etiam ulla proportio adest hominem inter, ac Deum, cum non sit homo respectu ad Deum, nisi *inane*, ac *nihilum*, ac *quasi non sit*, ut apud Isaiam dicitur, ac evidens ratio suadet. Hinc si homo infinitam Dei Majestatem vult nihilominus parvipendere, praeferens ipsi Summo Bono temporaneam voluptatem, quid justius, quam quod Deus cum eo deinde agat, prout ipse peccando cum Deo egit? Quid justius, quam quod prout ipse infinitam Dei parvipendens Majestatem cum temporanea voluptate Eum metiri voluit, ita et Deus parvipendens, quod ejus peccatum fuit quid temporaneum, poenis illud puniat aeternis; cumque harum aeternitate peccatorem metiatur?

Prop. IV. Ignis, quo Daemones, cumque iis reproborum animae adhuc a suis corporibus separatae plectuntur, materialis est, et corporeus. Est commune, et certum; non tamen de fide.

Prob. Et 1.° ex Scripturis, ubi quoties sermo est de Inferni poenis, fit semper mentio de igne; ut Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad Inferni novissima.* Eccli. 7. *Vindicta carnis impii ignis, et vermis.* Et c. 21. *Consummatio illorum flamma ignis.* Et Js. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante.. cum ardoribus sempiternis?* Et Matth.

★

3. *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Et Apoc. 11. *Pars illorum erit in stagno ardenti igne, et sulphure.* Et ad Thess. 1. *In flamma ignis dantis vindictam.* Et 2. Pet. 3. *Igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum.* Et Judae c. 2. *Ignis aeterni poenam sustinentes.* Tam constans autem loquendi modus metaphoricum seusum minime patitur, tum quia metaphora numquam est continua, idque magis apud diversos Scriptores, et qui diversis temporibus scripsere, tum quia recepta est ab omnibus regula, quod Scripturae ad sensum metaphoricum detorquendae non sunt, nisi vel pugnent cum aliis, vel evidens ratio urgeat: utque alibi diximus, si relicto naturali verborum sensu, ad tropos, et metaphoras Scripturae verba liceret transferre, consequens esset, quod Scripturae fuissent exaratae, non ad docendum, sed ad decipiendum, quod blasphemum dictu, et omnia fidei, morumque dogmata convellerentur, propterea quod semper responderi posset, metaphorice id asseri, et praecipi.

Maxime tamen urget ex Scripturis, quod reprobis in finali Iudicio Christus dicturus est: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum.* Quis autem dixerit, Judicem postremam sententiam coram universa justorum, impiorumque multitudine pronunciantem metaphoris usurum? Quis umquam audivit, Judicem contra reum decernentem metaphorice loqui?

Quibus accedit, quod eodem igne Daemones, et damnatorum corpora fore concremanda, ex eadem Christi sententia colligitur. Ignem autem corpora comburentem quisnam negat, esse corporeum?

2.° Ex PP.; ita enim D. Hier. ep. 59., ubi Origenem arguit, quod Inferorum ignem ad metaphoram transtulerit. Et D. Aug. l. 21. De Civ. Dei c. 10. *Adhaerebunt spiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi.* Et D. Greg. M. l. 4. Dial. c. 29., ubi de Inferni igne ait: *Corporeum esse, non ambigo.* Quibus similia praetermittimus.

3.° Ex Conc. Flor., ubi PP. Latini, se credere, dixerunt, in Purgatorio ignem esse, et quidem corporeum, quo animae levibus peccatis obnoxiae expiantur. Quod si ita censendum est de Purgatorii animabus, ita

etiam, immo magis idem censendum est de animabus lethalibus peccatis oneratis, ac de Daemonibus.

4.º Ex D. Th. 1. p. q. 64. a. 4., et l. 4. cont. Gent. c 90., et Opusc. 2. c. 179., ubi addit, *omnia, quae in Scripturis de Inferni igne dicuntur, ad litteram, et non per metaphoram esse intelligenda.* Ipsum autem omnes modo DD. sequi, testis est Petavius l. 3. de Ang. c. 5., ubi: *Corporeum, et materia constantem esse Inferorum ignem, quo Daemones, et animae damnatae torquentur, Theologi hodie omnes, imo et Christiani consentiunt.*

5.º Triplici ratione; 1.º enim nonne Deus, tametsi possit, nulla adhibita re corporea, animam mundare, eam tamen mundare illi placuit per elementum corporeum, atque istud maxime mundativum, idest per aquam? Quod cum ita sit, pronum inde est inferre, quod etiam, quamvis possit, nulla adhibita re corporea, illam pro peccato punire, eam tamen punire statuerit per elementum corporeum, ac per illud praecise, quod maxime activum est, et afflictivum, idest per ignem: Ita igitur. 2.º quia congruit, ut elatio per peccatum puniatur et in Daemonibus, et in hominibus per id, quod infra eorum naturam est, seu per rem mere corpoream, tamquam Divinae Iustitiae instrumentum: nec non per rem corpoream, quae item sit ad puniendum prae aliis apta, ut peccatum, quod summum malum est, summa etiam poena puniatur, ac malo omnium maximo maxima etiam omnium poena respondeat. Hujusmodi autem est ignis materialis, scilicet et quid corporeum, et simul maxime crucians: Ipsi igitur rationi consentaneum videtur, quod infernalis ignis, dum poena omnium maxima Daemones, cumque iis reprobos torquet; ignis simul materialis, seu corporeus sit. 3.º demum de fide est, Daemones, cumque iis reprobos in Inferis igne torqueri. Verum autem non esset, quod igne torquentur, nisi hic esset materialis, seu corporeus, ignis enim, qui non esset materialis, seu corporeus, neque etiam vere esset ignis: Materialis igitur, seu corporeus. Hinc propositio opposita esset saltem haeresim sapiens; haec enim est, ut diximus l. 1. tract. 8. c. 2, pag. 342., propositio, ex cujus concessione, coassumpto alio, quod non potest rationabiliter negari, sequitur haeresis.

Corporeum tamen esse, diximus *commune, et certum;*

at non *de fide*; ut enim relatis supra verbis subdit Petavius, *nullo Ecclesiae decreto obsignatum adhuc videtur, neque ulla in Synodo sancitum illud est, etsi nonnulli remisse fidei pronuntient.*

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Inferni ignis accipi debet, prout vermis, cui Js. 66. simul conjungitur; utque flamma, in qua Epulo, cruciari, ajebat Lucae 16.; utque et oculi, et digitus, et lingua, de quibus ibi etiam fit mentio. Tam vermis autem, quam oculi, digitus, et lingua accipi in iis locis debent metaphorice: Et metaphorice. igitur ignis.

R. neg. maj., non enim insolitum est in Scripturis metaphorica intersgrere veris, ut humano captui ea, quae narrant, accommodent. Sic Christus Jo. 4. Mulieri Samaritanae dicens: *Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum*, aquam in sensu proprio sumpsit. Pergens vero: *Qui autem biberit ex aqua, quam Ego dabo ei, non sitiet in aeternum*, sumpsit aquam metaphorice. Item Matth. 26., et Marci 14. dicens: *Jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illum bibam novum in Regno Dei*, 1.° sumpsit vinum in sensu proprio, 2° illum sumpsit metaphorice. Sic etiam quum dicitur, Beatos regnaturos cum Christo, Scriptura loquitur proprie; cum vero eos dicit, secum ibi sessuros ad mensam, comesturos, bibituros, loquitur metaphorice. Porro quod in relatis locis metaphorice accipi debeant vermis, oculi, digitus, lingua, evidens ratio suadet, nam nec animae separatae, nec Daemones membris constant, nec capaces sunt corrosionis vermis, quae cum fiat per subtractionem de substantia illius, qui corroditur, hujus subtractionis capax non est substantia spiritualis. Quod vero ignis non metaphorice, sed litteraliter accipi debeat, nedum nulla evidens ratio id prohibet, sed et momenta, quae retulimus, aperte ostendunt. Caeterum, quia reprobi post finale Judicium praecipites in Infernum ruent simul cum suis corporibus, potest quoque vermis loco citato litteraliter accipi, tametsi figurate significet etiam aculeum, et vexationem conscientiae. Hinc habetur quoque c. 7. Ecclesiastici: *Vindicta*

carnis impii ignis, et vermis. Et Judith 16. *Dabit ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.* Quare et D. Basil. in Ps. 33. *In Inferno vermium innumerabilium genus venenosum, et carnivorum erit.*

Objic. 2.° quod D. Aug. l. 21. de Civ. Dei c. 10. non reprobat, *talem fuisse illam flammam*, in qua apud inferos dives ardebat, *quales oculi, quos levavit, et Lazarum vidit, qualis digitus Lazari, etc.* Nec non quod D. Greg. l. 15. Mor. c. 17. scribit. *Gehennae ignis cum sit incorporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis.* Ac demum Damasc. l. 4. de fide orth: in fine; ubi expresse docet, *ignem aeternum non materialem esse, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus.*

R. ad 1.m, quod cum quidam putaverint, narrationem divitis exclamantis, *Crucior in hac flamma*, parabolam esse, non historiam, nec voluerit D. Aug. propriam aliorum auctoritati praeferre, ait proinde, non reprobare, *talem fuisse illam flammam, quales oculi, quos levavit, etc.*, utrumque scilicet parabolam. Ad 2.m vero in textum D. Gregorii mendum irrepsisse, ut docent prae aliis D. Th. in 4. Sent. dist. 44. qu. 3., Sixtus Senensis l. 4. Biblioth., et Petavius l. 3. De Ang. c. 5.; legendum namque esse *cum sit corporeus*, patet tum ex contextu, tum ex relatis ejus verbis de Inferni igne: *Corporeum esse, non ambigo.* Ad 3.m, Damascenum Inferni ignem incorporeum dixisse hoc sensu, ut ex ejus verbis patet, quod non est, qualis est apud nos, pabulo nempe indigens, extinguibilis, etc. . Hinc et Sotus, et Suaresius, et Estius, aliique inquiunt, quod licet ejusdem sit naturae cum nostro elementari igne, secundum tamen accidentia ab eo differt. Primum, tum quia Scriptura, et PP. constanter illum, et absque addito ignem appellant, ex quo sequitur, quod univoca ratione sub appellatione ignis comprehendatur; tum quia cum nomen ignis specificum sit, sicut nomen aquae; quicumque ignis idcirco, qui vere, et proprie est ignis, non potest non ejusdem speciei esse cum nostro elementari igne. Alterum, quia ignis noster pabulo eget, est extinguibilis, lucidus, ac ea, in quae agit, consumens: Infernalis vero tenebro-

sus, non egens pabulo, inextinguibilis; utque dicitur Job. 20., peccator in eo mersus, *luet, quae fecit, omnia, nec tamen consumetur.*

Prop. V. Daemones, cumque iis reproborum animae adhuc a suis corporibus separatae, ab igne Infernali torquentur tum per alligationem ipsi, tum per veram ab eo passionem.

Prob. 1. pars Et 1.° ex Scripturis, quae eorum cruciatus per vincula, rudentes, et alligationem nobis describunt; ut dum dicitur in Judae epistola c. 2., *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Et 2. Petri c. 2. *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Et Apoc. 20. *Apprehendit Draconem, et alligavit eum per mille annos, et misit eum in abyssum, et clausit.* Quam demum damnatorum alligationem indicavit quoque Christus Matth. 22., quum de eo, qui absque veste nuptiali in nuptiis sedere ausus fuerat, inquit: *Ligatis manibus, et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores*: nec non quum zizaniarum parabola allata Matth. 13., *alligate* (inquit) *ea in fasciculos ad comburendum.*

2.° Ex PP.; ita enim D. Aug., scribens l. 21. De Civ. Dei c. 10., quod sicut nunc animae, licet spirituales, corpori includuntur, ita *adhaerebunt Daemones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi; accipientes ex ignibus poenam:* Ita etiam D. Greg. l. 4. Dial c. 29., relatus quoque a D. Th. in 4. Sent. Dist. 44. *Si incorporeus spiritus in hoc teneri potest, quod vivificat, quare non poenaliter et ibi teneatur, ubi mortificatur? Sicque fit, ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor, ac dolor invisibilis trahitur.*

Prob. 2. pars. Et 1.° quoque ex Scripturis; dicitur enim Iudith 16., quod ibi *uruntur, et sentiunt*; et Apoc. 20., quod *cruciabuntur die, ac nocte.* Si autem eorum cruciatus esset tantum detentio in igne, satis fuisset dicere, in igne detineri, ac superfluum addere, quod ibi *urantur, et sentiant*, quodque ibi *cruciabuntur die, ac nocte*: Vere ergo, et realiter pati ab igne, ac nedum a vero igne torqueri, sed et ab eo vere torqueri, consequens est.

2.° Ex PP., a quibus et dicitur, Daemones, et animas damnatorum ab igne *cruciari, poenam accipere,*

exuri, *ardorem*, *ac dolorem pati*. Haec autem de sola afflictione ob detentionem exponi nequeunt, ut consideranti patet: Ab eo igitur per veram etiam passionem torqueri, est dicendum.

3.° Ex ratione; quemadmodum enim cum corpus animatum uritur, anima est, quae passionem sentit, eamque diversam ab ea, quam haberet, si ab aqua, vel gladio pateretur; ita etiam quum a corpore separata, et per Dei potentiam igni alligata est, similem quoque cruciatum ab igne debet percipere, quem percipiebat, dum corpori uniretur, et quem perceptura est post corpus resumptum. Qua super re clare quidem non cognoscitur, quomodo spiritus immediate possit veram passionem ab igne pati; quare ait D. Aug., *miris*, *et veris modis* id fieri. Possibile tamen ex eo evincitur, 1.° quod sensus adustionis non est, nisi ejus perceptio in mente excitata fibrarum, nervorumque concussionibus. Si autem per concussiones fibrarum, ac nervorum potest in anima excitari adustionis perceptio, quare haec non poterit absque ejusmodi concussionibus immediate ab ipso igne in ea excitari? Sive, ut idem diversimode dicamus, licet concipi nequeat, quomodo res corporea incorpoream possit affligere, utique tamen concipitur, quod cum Spiritus ille sit, qui subjectum est tam voluptatis, quam doloris sensibilis, hujus proinde sicut potest esse subjectum per corpus, cui hic unitur, ita ejus subjectum esse potest per ipsum ignem, cui a Deo apud Inferos alligetur. 2.° quod sicut spiritus potest corpori uniri, ut ei vitam communicet, ita et potest igni uniri, ut ab eo poenam trahat, eamque prorsus illi similem, quam ab igne traheret, si in corpore esset.

Prop. VI. Est quidem Daemonum, sicut et aliorum damnatorum voluntas ita in malo obfirmata, ut numquam ad justitiae statum sit revocanda; idque est de fide. Sunt tamen alicujus boni moralis ordinis naturalis physice capaces; licet non moraliter ob miserrimum eorum statum, in quo omnis eorumdem voluntas deliberata est peccatum; quin tamen amplius demereantur. Ita probabilius cum Bellarm., Suar., Petav., Tourn., aliisque.

Prob. 1. pars. Et 1.°, quia est de fide, Daemones, cumque iis omnes in Infernum detrusos perpetuis, ac numquam finiendis poenis addictos esse; ideoque eos

peccatorum suorum veniam numquam consecuturos fore. Est autem simul de fide, quod neminem Deus aeternis suppliciis damnat, sicut et nemini suorum peccatorum veniam denegat, qui non sit in malo obstinatus, sed peccatorum suorum fructuosam, ac salutarem poenitentiam agat: De fide igitur dicendum quoque est, quod et Daemonum, et aliorum damnatorum voluntas ita in malo est obfirmata, ut numquam ad justitiae statum sit revocanda.

2.° Ex Conc. Constantinop. II. ubi, ut legitur in libro diurno Rom. Pontificum, *Origines cum impiis discipulis, et sequacibus . . aeterna censura ab Ecclesia Dei projecti sunt.* Unum autem ex praecipuis Origenis dogmatibus fuit, quod post certas temporum revolutiones Daemones, animaeque damnatae poenitentiam agerent, veniamque consequerentur, ut testantur D. Aug. l. de haer. c. 43., et D. Hier. ep. 61. ad Pammach. Accedit quoque Concilium Later. IV. sub Innoc. III. c. *Firmiter*, ubi de reprobis definitum fuit, quod *cum Diabolo poenam aeternam recipient.*

3.° Ex PP., ut ex D. Aug. ep. 107. Nemo sanae fidei credit, aut dicit, *apostatas Angelos ad pristinam pietatem correcta aliquando voluntate converti.* Et l. 11. de Civ. Dei c. 13. *Nemo Catholicus ignorat, quod nullus Daemon in societatem bonorum Angelorum aliquando sit rediturus.* Cui concinunt et D. Epiph., et D. Hier., aliique. Hinc D. Th. hic a. 2. in corp., *firmiter* (ait) *tenendum esse secundum fidem catholicam, quod et voluntas bonorum Angelorum confirmata sit in bono, et voluntas Daemonum obstinata in malo.*

Prob. 2. pars; 1.° enim nemo est, qui neget, quod Daemones naturalia post peccatum retinuerint. Natura autem habuerant in statu viae libertatem contrarietatis, ad bonum nempe, et ad malum: Et eam igitur post peccatum retinuisse, est dicendum. 2.° Idem dictu est, quod nec physice sint capaces alicujus boni moralis, quodque damnationis status eorum libertatem ad bonum aeque, ac malum etiam physice destruxerit. Hoc autem falsum, cum natura sit immutabilis: Physice igitur et nunc quoque alicujus boni moralis capaces dicendi sunt. 3.°, quia, ut Suar., Petav., Tourn., aliique disserunt, si vires physicas Daemones, animaeque damnatae habent ad opus bonum ordinis naturalis, illius quoque physice capa-

ces esse, consequens est. Habent autem vires physicas ad opus bonum ordinis naturalis, cum sit inter illud, et eorum voluntatem proportio; non enim videtur, quod a statu, in quo reperiuntur, ita eorum judicium absorbeatur, ut careant indifferentia judicii ad bonum, ac malum morale; aliunde vero gratia, qua omnino privantur, necessaria non est ad quodlibet opus bonum ordinis naturalis: Non videtur ergo, quominus alicujus boni ordinis naturalis capaces dicendi non sint: *Nec excussa illis est* (ita proinde doctissimus Petavius de quibuscumque obduratis l. 5. Theol. Dogm. c. 10.) *penitus libertas arbitrii, nec alia est ista, quam moralis necessitas, cui licet absolute reluctari possint, et in contrarium niti, si velint, non tamen hoc facturi sunt.* Deinde vero ita pergit: *Quod in Daemonibus, et damnatis multo evenit magis, qui et libere peccant, ut quae faciunt, possent non facere; nec tamen facturi non sunt, nec usuri liberae potestatis arbitrio.*

Prob. 3. pars. Et 1.° ex illis verbis Eccl. 9. *Neque opus, neque ratio, neque sapientia, neque scientia erunt apud Inferos.* Nullum autem opus bonum fit absque rationis, sapientiae, ac scientiae ductu: Ita ergo apud Inferos et Daemonum, et aliorum damnatorum voluntas in malo obfirmata est, ut, licet physice capaces sint alicujus boni ordinis naturalis, numquam tamen illud facturi sint; quod proinde illis moraliter esse impossibile, consequens est.

2.° Ex D. Th. l. c. *Actus Daemonis est duplex: quidam scilicet ex voluntate deliberata procedens, et is proprie dici potest actus ejus; et talis actus Daemonis semper est malus, quia etsi aliquando bonum faciat, non tamen bene facit; sicut dum veritatem dicit, ut decipiat, et dum non voluntarie credit, sed rerum evidentia coactus. Alius autem actus Daemonis est naturalis, qui bonus esse potest, et attestatur bonitati naturae; et tamen tali bono actu abutitur ad malum.*

3.° Ex ratione; ea namque dicitur impossibilitas moralis, quae licet physice, seu absolute vinci possit, infallibiliter tamen numquam, nec etiam raro vincitur, nec futurum umquam est, ut vincatur: *Quod enim* (ut Suaresius disserit l. 8. De Ang. c. 11.) *moralis impossibilitas tanta esse possit, exemplis de-*

monstratur ex materia de gratia sumptis. Homo enim lapsus, et speciali gratiae privilegio carens, non potest dici omnia venialia peccata vitare, quae impotentia non physica, sed moralis est, quoniam ad singulos actus potentia physica non deest; et nihilominus tanta est illa impotentia moralis, ut numquam oppositum evenire contingat. Et simili modo non potest homo lapsus solis viribus liberi arbitrii gravissimam tentationem vincere, quae impotentia moralis est, et nihilominus tanta est naturae fragilitas, ut numquam contraria potentia physica effectum suum consequatur. Hujusmodi autem est in Daemonibus, aliisque damnatis impossibilitas ad quodvis opus bonum morale, etiam ordinis naturalis; licet namque ex dictis physice, seu absolute vires habeant ad aliquod bonum morale ordinis naturalis, semper tamen operantur vel ex odio, quo contra Dei Majestatem flagrant, vel ex affectione ad malum finem, vel cum aliqua prava circumstantia; adeo ut numquam opus ex objecto simul, fine, et circumstantiis bonum eliciant: Patet ergo, quod ad illud, sin physice, moraliter tamen sunt impotes; numquam proinde voluntate deliberata volentes, nisi malum.

Id vero diximus oriri *ex miserrimo eorum statu*; gravissima enim, et continua tentatione acti, orta scilicet ex acerbissima tristitia ob amissam beatitudinem, ex acutissimis conscientiae stimulis, quibus semper vexantur, ex intolerando ignis tormento, ac demum ex desperatione veluti rabida, quod tot, tantique cruciatis nullum umquam finem habituri sint; ex his simul congestis ita in odium Dei commoventur, ut voluntas eorum sic affecta, omnique gratiae auxilio destituta, semper, et necessario, necessitate scilicet morali, ad malum determinetur.

Prob. 4. pars; dicitur enim in 1. Joannis epistola c. 3. *Ab initio Diabolus peccat.* Sed et accedit; quod iis non deest quidquid ad peccandum requiritur; iis namque non deest ex omnium consensione, nedum libertas exercitii, quae sola ad peccandum sufficeret ex dictis in tract. de act. hum. c. 3., facultas nempe non committendi hoc, vel illud peccatum; verum etiam, ut ait Tannerus disp. 5. de Ang. q. 6. dub. 5., ex actibus malis modo hos, modo alios exercendi, ac proinde libertas non solum quoad exercitium, sed in plerisque

etiam quoad specificationem, ipsaque etiam, physice loquendo, libertas contrarietatis, ut supra ostendimus, qua possent, ut diximus cum Petavio, *in contrarium niti, si vellent.* Si autem iis nec exercitii, nec specificationis, nec physice loquendo ipsa contrarietatis libertas deest, nec etiam deest quidquid ad peccandum requiritur: Malum ergo, ad quod eorum voluntas deliberata semper flectitur, veri nominis peccatum dicendum est. Neque id ullatenus convenit cum tertia Jansenii propositione: haec namque asserit, quod in praesenti statu nec ad peccandum, nec ad merendum, et demerendum requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione: Nos autem nec loquimur de libertate hujus status, nec loquimur de libertate ad merendum, et demerendum necessaria, sed tantum de libertate necessaria ad peccandum, ac praeter libertatem a coactione agnoscimus quoque in Daemonibus, et damnatis tum exercitii, tum specificationis in plerisque actibus, tum etiam physice loquendo, contrarietatis libertatem.

Prob. 5. pars; licet enim et Alexander Alensis, et Richardus a Media Villa docuerint, damnatos peccatis suis novas semper poenas mereri, id tamen negat D. Thomas, cumque eo Theologi communiter, ex defectu conditionis ad merendum, et demerendum requisita, quae est status viae; ita enim S. D. 2. 2. qu. 3. a 1. *Quidam dicunt, et Beatos mereri, et damnatos demereri; sed hoc non potest esse respectu praemii, vel poenae principalis, cum quantum ad hoc utrique ad terminum pervenerint.* Hinc etiam Bellarm. l. 5. de gr., et lib. arb. sic habet de damnatis: *Respondeo, liberum arbitrium etiam a necessitate habere. , et vere peccare . . quamvis nec poena, nec praemium essentiale crescere possit, cum sint in termino.* Similiter quoque Suaresius l. 8. De Ang. c. 11., ubi sibi objicit: *Si Daemones semper male operantur, et libere, ergo semper augumentum poenae merentur.* Ac respondet, quod per opera, quae extra viam faciunt, non merentur, quia sunt in termino; et mereri, aut demereri, Deo ita ordinante, sunt proprietates operum, quae fiunt in via. Addit D. Th. l. c. q. 13, a. 4. ad 2. *In Beatis bona non sunt meritoria, sed pertinentia ad eorum beatitudinem; et similiter mala in damnatis non sunt demeritoria; sed pertinent ad damnationis poenam.* Quia nempe sicut bo-

na voluntas in bonis ipsa quoque est praemium, ita mala voluntas in malis ipsa quoque est supplicium.

Nec facessit, quod omne peccatum poenam meretur, quia ita postulat ordo Iustitiae Divinae, quae non patitur, ut peccetur impune. Daemones autem, et damnati perpetuo, ut diximus, suis actibus deliberatis vere peccant: Ergo et perpetuo iis novas poenas merentur. Respondetur enim dist. maj.; quod nempe omne peccatum poenam meretur in praesenti viae statu, non vero in statu termini, quia mereri, et demereri sunt proprietates operum viatorum, non vero eorum, qui ad terminum pervenerunt.

Prop. VII. Locus, in quem Daemones detrusi fuere, cumque iis caeteri damnati detinentur, est locus quidem determinatus; idque est de fide. Eum vero esse in terrae visceribus, commune est, gravibusque rationibus nititur.

Prob. 1. pars. Et 1.º ex Scripturis, in quibus sub nomine *inferni* locus quidam determinatus designatur; ut Sap. 5. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.* Et Ps. 93. *Nisi quia Dominus adjuvit me, paullo minus habitasset in inferno anima mea*; ubi infernus distinguitur a sepulchro, in quo anima non jacet. Nec non Matth. 11. *Et tu Capharnaum, numquid usque in Coelum exaltaberis? Usque ad inferos descendes.* Et Luc. 16. *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno*; ubi vox *inferni* non generaliter, sed pro loco determinato sumitur, nam et a sinu Abrahae distinguitur, et inter utrumque locum magnum chaos interjectum esse, dicitur, et per antonomasiam *locus tormentorum* appellatur. Demum Apoc. 20. Draco dicitur missus in abyssum, et ibi clausus, *ut non seducat amplius gentes.* Quod Interpretes communiter intelligunt de Lucifero. Concinunt item Patres antecedenter relati: ac ipsa quoque suffragatur ratio; consentaneum namque est, ut sicut boni in determinato quodam loco praemium recipiunt; ita etiam extet locus determinatus, in quo Daemones, cumque iis reprobi puniantur.

Prob. 2. pars. Et 1.º ex Num. 16., ubi de Dathan, et Abiron dicitur: *Disrupta est terra sub pedibus eorum, et descenderunt vivi in Infernum operti humo.* 2.º ex D. Aug. l. 2. Retr. c. 24., ubi expendens quod scripserat l. 20. De Civ. Dei c. 16., neminem scire, in

qua Mundi parte sit Infernus, sic retractat: *De inferis mihi videor magis docere debuisse, quod sub terris sint.* Tertull. vero l. de anima c. 31. expresse dixerat, Infernum esse in fossa terrae, ac in ejus visceribus. Ac 3.° demum ratione ex ipso *inferni* vocabulo desumpta, quod significat locum subterraneum, ac profundissimum terrae locum.

CAPUT VII.

De Angelorum muneribus.

Pluribus, variisque muneribus Supremos illos Spiritus fungi, ex hierarchiis, et ordinibus, in quos distinguuntur, ut diximus c. 1. pag. 24., non obscure colligitur; intelligitur enim per hierarchiam, ut ibidem diximus, *Sacer Principatus, seu quarumdam personarum ad sacras functiones destinatarum collectio sub aliquo Principe*; per ordinem vero *collectio personarum ejusdem muneris, et officii in eadem hierarchia.* Supremum quoque omnium Hierarcham esse D. Michaelem, ipsa, ut eodem loco diximus, videtur censere S. Mater Ecclesia, a qua vocatur *Princeps Militiae Angelorum*, nec non *Praepositus Paradisi*: 1.° enim Dan. c. 10. dicitur *Michael unus de Principibus primis*; *idest*, (ut explicat Cornelius a Lapide) *primus Principum*, cum juxta phrasim Scripturae idem sit *unus*, ac *primus*, ut Gen. 1., ubi habetur: *Factum est vespere, et mane dies unus*, idest *primus*, nam consequenter subditur *dies secundus*, *dies tertius*, *dies quartus*; *etc.* *Et* Lucae 24. pro *prima Sabbati* dicitur *una Sabbati.* 2.° dicitur quoque c. 11. *Michael Princeps Magnus.* Si autem, ut *Princeps*, credendus est inter Angelos alicujus Hierarchiae Caput, ut *Princeps Magnus*, credendus est caput Superioris Hierarchiae, ideoque omnium omnino Angelorum. 3.° Apoc. c. 12. quemadmodum omnes absque exceptione Angeli rebelles dicuntur Angeli Draconis; ita omnes absque exceptione Angeli Sancti dicuntur Michaelis Angeli illis verbis: *Michael, et Angeli ejus praeliabantur cum Dracone, et Draco pugnabat, et Angeli ejus.*

His praemissis: quatenus quidem ad hunc, vel illum ordinem spectant, quaenam praecise sint, quae exercent, in abditis est, ac satius censemus dictu cum D. Aug.,

nos id nescire: *Esse itaque Sedes* (ita S. D. l. cont. Priscillianistas c. 11.), *Dominationes*, *Principatus*, *et Potestates in Coelestibus Spiritibus*, *firmissime credo*, *et differre inter se aliquid*, *indubitata fide teneo*: *sed quaenam ista sint*, *et quid inter se differant*, *nescio*. Quibus vero fungantur, quatenus *sunt administratorii Spiritus* (ut Ap. loquitur ad Heb. 1.). *in ministerium missi propter eos*, *qui haereditatem capiunt salutis*, non pauca sunt, quae ex Sacris Litteris, et ex Traditione discimus, atque heic loci qua majori fieri potest claritate explicare aggredimur. Sit igitur

Prop. I. Munus Angelorum est Divinae voluntatis nuncios interdum esse, ac Divinorum consiliorum ministros: neque id est tantum Angelorum inferiorum ordinum, sed omnium omnino ordinum

Prob. 1. pars. Exodi enim 33. habetur: *Ecce Ego mittam Angelum meum, qui praecedat te*. Et Lucae 1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galileae ad Mariam Virginem*. Et Act. 12: *Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum*, *et eripuit me de manu Herodis*. Quibus similia passim occurrunt in Scripturis, ac totidem propositionis, quam statuimus, argumenta sunt.

Prob. 2. pars ex l. cit. ad Heb., ubi Ap. indistincte de omnibus pronunciat, quod a Deo mittuntur, atque hinc probat, Christum omnibus, singulisque Angelis superiorem esse: *Nonne sunt omnes administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos*, *qui haereditatem capiunt salutis*? Cui accedit, quod Isaiae 6. dicitur unus de Seraphim ad illum volasse. Quod Raphael, qui unus est ex septem, qui astant ante Dominum, legitur missus Tob. 12. . Quod Gabriel, quem D. Greg. M. hom. 34. *Summum Angelum* appellat, *Summum namque Angelum* (ait) *venire dignum fuerat*, *qui Summum omnium nuntiabat*, missus quoque legitur annuntiaturus, quae ad Christi adventum spectabant. Quod demum Michael, qui omnium omnino Angelorum supremus censetur, in ministerium missus legitur cit. Danielis loco. Nedum igitur Angelorum inferiorum ordinum, sed omnium omnino est, Divinae voluntatis Nuncios interdum esse, ac Divinorum Consiliorum Ministros.

Prop. II. Item munus Angelorum est, populis, regnis, provinciis, ac civitatibus praeesse: immo quod humanum genus, vel etiam Orbis universus eorum ministerio gubernetur.

Prob. 1. pars ex c. 8. Dan. ubi S. Michael dicitur stare pro filiis Israel quia nempe olim fuit Synagogae Custos, prout nunc Ecclesiae, quae proinde, ut suum Tutelarem, eum veneratur. Nec non ex c. 10. ejusdem Dan., ubi dicitur, quod Princeps Regni Persarum restitit Gabrieli, a Deo Judaici populi liberationem postulanti. Per Principem autem Regni Persarum non alius a DD. intelligitur, quam bonus Angelus Persarum Custos, ac Tutelaris, ut exponunt prae aliis D. Hier. in hunc loc., et D. Greg. l. 17. Mor. c. 8., nolebatque Judaici populi liberationem, quia noscebat Judaeorum peregrinationem in Perside Persis esse utilem; neque est, qui non videat, quod eadem est ratio pro quovis alio Regno, etiam Infidelium, quales erant Persae. Accedunt PP., qui consuli possunt ap. Petav. l. 2. De Ang. c. 7., ex quibus sufficiat D. Ambr., qui l. 2. in Luc. sic scribit: *Non solum ad tuendum gregem Dominus Episcopos ordinavit, sed etiam Angelos destinavit*: quos proinde Populis, Regnis, Provinciis, ac Civitatibus praeesse, consequens est.

Prob. 2. pars tum ex illis Ap. verbis ad Heb. 2. *Non enim Orbem terrae futurum Angelis subjecit Deus*: tum ex Apoc., ubi c. 14. unus Angelus dicitur habere potestatem super ignem, et c. 16. alius vocatur *Angelus aquarum*.

Prop. III. Item munus Angelorum est, homines per eos nonnumquam illuminari.

Prob. 1.° ex Scripturis, nam Dan. 8. habetur: *Et ait ad me* (Gabriel), *intellige, fili hominis*. Et c. 9. *Docuit me Angelus*. Et Zach. c. 1. *Dixit ad me Angelus*. Et Matth. 2. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens, etc.* Et Act. 8. *Angelus Domini locutus est ad Philippum*. 2.° ex PP., ex quibus sufficiat D. Aug. in Ps. 118.; explicans namque illa verba *Da mihi intellectum*, id, docet, Deum praestare per Angelos, cum hoc discrimine, quod *Deus per seipsum, quia lux est, illuminat pias mentes, ut ea, quae dicuntur, intelligant. Sed si ad hoc ministro utitur Angelo, potest quidem aliquid agere Angelus in mentem hominis, ut capiat lucem Dei, et per hanc intelligat. Sed ita dicitur intellectum dare homini, et quasi, ut ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur dare lucem domui, vel illuminare domum, cui fenestras facit, cum eam non sua luce penetret, et illustret, etc.*

Prop. IV. Demum Angelorum munus est adesse hominibus ad custodiam; nec tantum in genere, sed et in particulari, ita ut cuique homini suus adsit Angelus tutelaris. Est commune, et certum contra Calvinum.

Prob. Et 1.° ex Script.; habetur enim Gen. 48. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis*. Et Judith. 13. *Custodivit me Angelus ejus et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem*. Et Ps. 90. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Et Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Coelis est*; ubi advertendum, non dici singulariter *Angelus*, sed *Angeli*, ad significandum nempe, non unum, sed plures pluribus praefici: nec dici simpliciter *Angeli*, sed *Angeli eorum*, hoc est, Angeli veluti proprii, seu cuilibet adscripti. Hinc Euseb. Caes. l. 13. De Praep. Ev. c. 7., *Angelum* (ait) *unicuique ad custodiam Divinitus datum, ex Scriptura didicimus*.

2.° Ex PP.; ita enim D. Chrys. hom. 3. in c. 1. ad Coloss. *Unusquisque fidelis habet Angelum. . sicut dicit Jacob: Angelus, qui pascit me, et liberat me a juventute mea*. Et D. Basil. l. 3. cont. Eunom. *Quod adsit singulis credentibus Angelus, tamquam paedagogus, et pastor viam dirigens, nemo contradicet, qui memor fuerit verborum Domini, ubi dicit: Ne contemnatis unum de pusillis istis, qui in me credunt, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*. Et D. Hier. in c. 18. Matth. *Magna dignitas animarum, ut unaquaeque ab ortu nativitatis habeat in custodiam sui Angelum delegatum*. Et D. Bern. l. 2. de Consid. *Singulis hominibus dari creduntur* (Angeli), *missi in ministerium secundum Pauli doctrinam*. Aliique praesto essent.

3.° Ex communi totius Ecclesiae consensu, quae semper ita credidit, ut colligitur ex c. 12. Act., ubi refertur, quod D. Petro e carcere, in quem ab Herode missus fuerat, Divina virtute liberato, et pulsante januam domus, in qua Fideles congregati erant, dixerunt hi, utpote peractum miraculum nescientes: *Angelus ejus est*. Quod et colligitur ex festo Angelorum Custodum, quod de mandato Summorum Pontificum in tota Catholica Ecclesia celebratur,

Officia vero beatorum illorum Spirituum erga animas eorum custodiae concreditas multa sunt ex Scriptu-

ris; nam arcent Daemones (Tob. 8.); increpant peccatores (Judic. 2.); docent, et instruunt (Dan. 9.); consolantur in adversis (Tob: 5.); animos, viresque subministrant (3. Reg. 19.); suorum clientum preces Deo offerunt, non quidem Deo illas exhibendo, cum per se illi pateant, sed suis precationibus efficaciores reddendo (Apoc. 8.); ac demum justorum animas e corpore migrantes in Coelum deducunt (Luc. 16.).

Qua super re docet quoque D. Th. a. 5., Angelos hominibus assistendo, non hominibus, sed Deo servire, ad cujus gloriam haeraeditatem salutis electis procurant: nec non Angelum Custodem unicuique homine adesse, et suo munere fungi ab ejus ex utero matris egressu, et non ante, ac usque ad ejusdem mortum, et non post: 1.m quia cum ante nativitatem infans censeatur esse, quasi pars quaedam Matris, per Angelum quoque ipsius matris Custodem custodiri censetur. Alterum, quia post mortem non amplius homo eget Angeli custodia, cum sit in termino, nec ullus supersit merito, vel demerito locus.

An autem, sicut cuique homini deputatur a Deo bonus Angelus, ut eum custodiat, ita illi ab eo deputetur quoque malus Angelus, negant communiter DD.: 1.° quia sicut Deus, utpote ipsa veritas nec per se, nec per alium potest fallere; ita, utpote ipsa Bonitas, nec per se, nec per alium potest ad peccatum inducere: ad quod referunt illa Jac. verba c. 1. *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat.* 2.° quia in iis, quae directe ad peccatum trahunt, si Deus ageret destinatione, et proposito, ei posset imputari peccatum. Id autem dictu nefas, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, ut ei ajebat Regius Psaltes. Singulis vero hominibus Daemonem tentatorem esse assignatum, non quidem a Deo, sed a Principe Daemoniorum, docent quidem post Nyssenum non pauci ex Theologis: sed et id nulla solida ratione nititur; aliud namque certum non est ex Sacris Litteris, quam quod passim a Daemonibus, Deo sic permittente, impugnamur, estque *nobis colluctatio* (ut ait Ap. ad Eph. 6.) *adversus Principes, et Potestates, adversus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus*: quodque vigilandum nobis est, ut D. Petrus monet ep. 1. c. 8., *quoniam Adversarius noster Diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret.*

TRACTATUS III.

DE CREATIONE PRIMI HOMINIS.

CAPUT I.

De voluptatis loco, in quo primus homo positus fuit.

Acturi demum de creatione hominis, pauca prius dicere de Paradiso, ubi Deum posuisse primum hominem, testis est Gen. 2., operae pretium censemus. Sumitur heic loci Paradisus pro horto insigni, amoeno, et ad delectandum composito; nomen enim graecum *Paradisus* latine redditur *hortus*. Primum autem fuisse locum quemdam corporeum, nemo potest in dubium vocare, quin Sacris Litteris apertissime opponatur, tum quia quae de eo dicuntur in Scripturis, per modum narrationis historicae dicuntur; nec ullus est, qui neget, quod in omnibus, quae sic Scriptura tradit, pro fundamento tenenda est historiae veritas: 1.° enim de eo dicitur, *Plantaverat autem Deus paradisum voluptatis*, nec plantari potest, nisi res corporalis: 2.° subditur, *in quo posuit hominem, quem formaverat*, nec homini in vita corporali adhuc degenti alius, quam locus corporalis, destinari poterat: ac demum. 3.° dicitur consitus fuisse arboribus pulchris visu, et ad gustandum suavibus, sicut etiam describuntur flumina ex illo egredientia, lapides pretiosi, et aurum, quae in eo nascuntur; neque haec omnia alium, quam locum corporalem, innuunt.

Nonne tamen, ajet quis, Moysis narratio multa complectitur, quae nonnisi metaphorice possunt intelligi; ut prae aliis vox, et deambulatio Dei in Paradiso post meridiem? A pari igitur metaphorice intelligenda sunt, quae de Paradiso narrat. Sed respondetur neg. cons.; tunc enim litteralis Scripturae sensus relinquendus est, ut alibi diximus, cum vel pugnat cum aliis Scripturae textibus, vel ex eo manifestum sequitur absurdum. Porro cum certum sit, Deum non habere corpus humanum, nequit absque manifesto absurdo vox illa, quasi ab ore carnali egressa, et deambulatio Dei lit-

teraliter accipi? quodnam tamen absurdum sequitur ex litterali acceptione eorum, quae in iis de terrestri Paradiso dicuntur? Caeterum vocem illam, et deambulationem fuisse Angeli, nomine Dei loquentis, et ambulantis in forma humana, quae idcirco fuit vox, et deambulatio vera, et sensibilis, communiter DD. interpretantur.

Nec tantum locum corporeum, sed et locum specialem fuisse, non jam totam Terram, pro certo saltem est habendum; constat enim ex ipsa Mosaica narratione, fuisse in Oriente plantatum. Non igitur tota terra, quae nedum ad Orientem, verum etiam ad Occasum, Meridiem, et Aquilonem protenditur, sed locus specialis. Cui accedit, quod in poenam peccati ejecit Deus Adam, et Hevam de illo voluptatis loco. Porro eos a tota terra non ejecit: Locum ergo specialem fuisse, non totam Terram, consequens est. Praecise autem innuimus quoad ejus situm, fuisse in Oriente plantatum; quae enim latinus interpres c. 2. Geneseos v. 8. vertit: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio*; Symmachus, Theodotio, et Aquila, nec non 70. Interpretes transtulerunt: *Et plantavit Deus Paradisum in Eden ad Orientem*. Quare et hinc creditur mos manasse apud antiquos Christianos adorandi ad Orientem, quasi eo respicerent, unde exciderat Adam, et suspirarent Patriam, quam per illum amiserant, et ad quam per Christum sperarent se reducendos.

In quonam vero Orientis loco situs fuerit, non parum controvertitur: qua super re, contemnenda non est eorum opinio, qui ajunt, in India Orientali illum fuisse; tum quia Physon, unus ex quatuor Paradisi fluminibus, qui non est alius, quam Ganges, ex Caucaso Indiae monte oritur, teste Strabone *l.* 15. *Geograph.*; tum quia Physon, ut dicitur Gen. 2., *circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum, et aurum terrae illius optimum est.* Hevilath autem Indiae regio est, ab Hevila, filio Jectan, fratre Ophir, nepote Heber cognominata; de quo Gen. 10. In India quoque aurum optimum est; ibi enim est regio Ophir ab altero filio Jectan nuncupata, ex quo Salomonis tempore deferebatur aurum, ut legitur l. 3. Reg. c. 9. Hinc tali opinationi adhaeret D. Hier. tum *l. de situ, et nom. loc. Hebr.*, tum *ep.* 4. *ad Rustic.*

Probabilior tamen, et communior est illorum opi-

nio, qui inquiunt, illum fuisse in Mesopotamiae finibus circa Babyloniam; 1.° quia Paradisus, de quo hic sermo, dicitur loco cit. Geneseos *in Eden* tum v. 8 juxta laudatas Versiones, tum v. 10., ubi enim Vulgata Latina legit: *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis*, hebraeus Codex habet *ex Eden*; ubi *Eden* significare nomen loci, et Graeci, ac Latini plerique asserunt, et non obscure colligitur ex c. 4. Gen., ubi: *Egressusque Cain a facie Domini, habitavit profugus in terram ad Orientalem plagam Eden.* Porro *Eden* in Mesopotamiae finibus fuisse, regionemque Orientalem esse non longe ab Haran, testantur Isaias c. 37., et Ezech. c. 28., qui conjungunt filios *Eden* cum filiis *Haran. Haran* vero, sive *Charam* fuisse urbem celebratissimam Mesopotamiae inter Chaboram, et Euphratem, sentit inter alios Calmetus in Dict. hist. litt. H; qui pariter litt. E concludit, *Eden* regionem esse in Armenia sitam, suoque ambitu claudere Euphratem, Tygrim, Phasim, et Araxem flumina. Hinc accedit 2.°, ibi dicendum esse, quod fuerit Paradisi locus, ubi sunt Euphrates, et Tygris; postquam enim dictum fuit citato Genesis loco, *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum*, subditur; *qui inde dividitur in quatuor capita*; ac paullo post: *Nomen vero fluminis tertii, Tygris. Fluvius autem quartus ipse est Euphrates.* Euphrates autem est fluvius Babyloniae, inter quem, et Tygrim intercepta regio Mesopotamia (quasi dicas in medio duorum fluviorum sita) vocatur: Ibi igitur fuisse Paradisi locum, consequens videtur.

Nedum hominem autem, sed, ut ait D. Basil. or. 3. de hom. struct., *avicularum omnigenum genera, et terrestrium animalium omnigena spectacula, cicura omnia, et mansueta*, illum incoluisse; ostendit Bellarm. l. de gr. primi hom. c. 15. contra alios: 1.° quia homini in Paradiso existenti collatum fuit imperium super animalia, quae proinde oportebat esse in Paradiso, ut nempe in ea imperium exerceret. 2.° quia et multum ornatus, et pulchritudinis Paradiso defuisset, si nulli in aquis pisces, nulli in arboribus aves, praesertim discolores, et canorae, nullae in sylvis bestiae, nulla in campis pecora fuissent, et homo variis caruisset voluptatibus, quae ex volucribus, aliisque animantibus percipere poterat. 3.° quia non potuisset Heva non horrescere ad

primum serpentis aspectum, si numquam illum, nec aliud animal vidisset.

Usque de serpente, qui fuit deinde Diaboli organum, ut Hevam seduceret, peculiare aliquod dicamus, *sembra* (ita de eo Abbas Du-Clot in c. 1. Gen.), *che avanti la caduta dell' uomo il serpente avesse qualche cosa di lusinghiero, e di amabile. Egli era più famil-liare coll' uomo di ogni altra creatura. In effetto, quando Dio disse, ch' Ei porrà l' inimicizia tra la donna, ed il Serpente, e tra il seme del Serpente, e quello della donna, è chiaro il supporre, che vi fosse per l' avanti tra loro una specie di amicizia. D'altronde il Serpente, di cui il Demonio rivestì le divise, non era della razza ordinaria, ma di quei Serpenti brillanti, ed alati, che nascono nell' Arabia, e nell' Egitto. Essi sono di un colore splendente; e quando volano, i raggi del Sole percuotendo le loro ali, il loro riflesso produce un magnifico effetto. Se il serpente, di cui prese la corporatura il Demonio, era di questa specie, o di altra anche più bella, un simile animale era adattatissimo al suo disegno.* Nec, ut scribit Bellarminus *l. de pecc. primi hom. c.* 11., antequam ea de causa maledictus a Deo esset, toto corpore reptabat; sed anteriore rectus incedens, reptabat solum parte posteriore.

Pluribus quoque arborum, ac plantarum speciebus ornatum fuisse, in eoque Deum plantasse omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, dicit Moyses Gen. 2. Erant tamen in eo, praeter arbores communes duae speciales arbores, quarum una dicebatur *lignum vitae*, et haec erat in medio Paradisi; altera *lignum scientiae boni, et mali*; ita enim Gen. 2. *Lignum etiam vitae in medio Paradisi, lignumque scientiae boni, et mali.* Et quoad 1.^{m}, constans est, quod lignum vitae homini tribuisset immortalitatem, si ex illo gustasset; ut enim D. Aug. disserit l. 8. de Gen. ad litt. c. 5., *si potuit Deus facere, ut unus panis usitatus per* 40. *dies, et noctes absque ullo alio cibo conservaret in robore Eliam; si potuit facere, ut vas farinae, et olei, licet continuo absumerentur in cibum, non tamen deficerent, ut legitur l. 3. Reg. c. 17.; potuit quoque fructui ligni vitae, licet corporali, sic dare, ut hominem in robore servaret, nec infirmitate, vel aetate, vel morte absumeretur.* Caeterum ejusmodi

virtutem non fuisse praecise in cibo illo, seu fructu, sed in hominis anima, cui Deus in sumptione talis cibi vim illam contulisset, docet D. Th. 1. p. qu 57. a. 4. *Sic ergo* (inquiens) *lignum vitae coadjuvabat ad immortalitatem; sed principalis causa immortalitatis erat virtus a Deo animae collata.* Quod et docet D. Bonav. in 2. Dist. 17. *Sicut* (inquiens) *Sacramenta nostra non creant gratiam, sed Divina virtus ipsis assistens in eorum legitima susceptione gratiam infundit, sic fructus arboris non dabat immortalitatem, sed Divina virtus, cum fructus ille comedebatur, immortalitatem homini largiebatur.* Vi porro ejusmodi immortalitatis, *homo* (ut scribit D. Aug. l. 1. de pecc. merit., et remiss. c. 4.), *animale, et mortale habens corpus, habuisset in eo quemdam statum, quo sine defectu fuisset annosus, ac tempore, quo Deus voluisset, a mortalitate ad immortalitatem sine media morte migrasset.* Inquit *animale, et mortale corpus habens*; cavenda enim hic loci est propositio, quam Pius V., et Greg. XIII. in Bajo proscripserunt: *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis ejus conditio.* Qua super re addit quoque Bellarm l. cit. c. 19., quod tempus meriti fuisset certo aliquo annorum numero definitum; et ut quis eum terminum attigisset, et toto eo tempore in bonis operibus perdurasset, ad sempiternam gloriam, tamquam ultimum ejus finem, completamque beatitudinem, absque morte intermedia translatus fuisset.

Quoad lignum vero scientiae boni, et mali, commune est, ita dictum fuisse, non ex vi scientiam ingenerandi, quia vis ad spiritualem effectum producendum, qualis est boni, ac mali scientia, non poterat naturaliter inesse rei corporeae; sed, ut docet prae aliis D. Chrys. ser. 7. in Gen., *ex eventu*; quia nempe futurum erat, ut qui ex eo contra vetitum gustaret, practice novisset, quid interesset inter bonum obedientiae, et malum culpae, seu inobedientiae: *Ante casum namque* (ait S. D.) *sciebat quoque Adam, obedientiam bonum esse, inobedientiam autem malum; manifestius tamen postea ex ipsa rerum experientia didicit; et nos enim sanitatem rem bonam esse novimus, et aegritudinem rem molestam, antequam illud experiamur, multo vero certius, cum in morbum inciderimus, utriusque rei discrimen agnoscimus.* Quo fere modo loquitur

etiam D. Aug. l. 8. de Gen. ad litt. c. 6., et l. 14. de Civ. Dei c. 17.

Cujus vero speciei fuerit arbor scientiae boni, et mali, nihil quoad hoc, nisi divinando, dici potest: nam ficulneam quidam eam fuisse, existimarunt, ex eo moti, quod statim ac Ada, et Heva peccarunt, cognoscentes se esse nudos, *consuerunt sibi folia ficus* (*Gen.* 3.). At 1.° poterat arbori, ex qua Heva fructum carpserat, vicina esse ficus, quin fructus, de quo Deus prohibuerat edere, fuerit ficus. 2.° ficulneae non conveniunt illa verba: *Lignum pulchrum oculis, aspectuique delectabile.* 3.° cum protoparentes, vix gustato pomo, apertis oculis ad cognitionem delicti, erga arborem illam summum horrorem conceperint, credibile potius est, ab eo longe recessisse, quam quod ad eam manus ad carpenda folia rursus extenderint. 4.° cum sese abscondere a Deo tentarent, non est putandum, foliis se cooperuisse illius arboris, quibus proderetur delictum. Alii proinde censent fuisse *malum* formae, et fructus praestantis; argumentum sumentes ex illis Cant. verbis c. 8. *Sub arbore malo suscitavi te; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua*; Matris namque nomine intelligi eo loci Hevam, abs re non est; quam proinde sub arbore *mali* corruptam, et violatam fuisse inobedientiae peccato, inde colligi, inquiunt. At 1.° nec certum est, matris nomine ibi intelligi Hevam, nec ibi agi de prima corruptione. 2.° vox illa *malum* non pomum solum, sed quemlibet fructum odoriferum, et levioris, ac mollioris corticis solet significare. Ex quibus concludendum est, Moysem arboris speciem non expressisse, ne illam curiosius scrutemur.

Demum utrum Paradisus terrestris etiamnum supersit, hinc, indeque inter DD. disputatur. Affirmans quidem sententia est communior ita, ut sic scribat Bellarm. l. de gr. primi hom. c. 14. *Nullum umquam ex veteribus legi, qui Paradisum terrestrem vel aquis Diluvii, vel alia de causa periisse scripserit; et contra legi plurimos, qui illum extare affirmant, ut Scholasticos fere omnes, ac praeterea veteres PP. Irenaeum, Hieron., Aug., etc.; unde non facile auderem a tam communi, celebrique opinione recedere.* Et sane clausum quidem legimus Paradisum illum hominibus post peccatum; nullibi tamen legimus,

eum fuisse destructum, et sublatum. Et aliunde necesse est locum aliquem amoenum agnoscere ab hominum cognitione remotum, in quo post Diluvium, et nunc degant Henoch, et Elias; quem nihil vetat esse Paradisum terrestrem, maxime accedente auctoritate Ecclesiastici c. 44., dicentis: *Henoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum.* Et D. Th. 3. p. q. 49. a. 5. ad 2. *Henoch raptus est ad Paradisum terrestrem, ubi cum Elia simul creditur vivere usque ad adventum Antichristi.* Nec e contrario facessit, quod Gen. 7. dicatur, aquas diluvii operuisse omnem terram, et omnes montes excelsos sub universo Coelo. R. enim 1.°, quod sermo ibi est de universa terra ab hominibus peccatoribus habitabili, eorumque usui serviente, propter quos immissum est diluvium. Nam ibi etiam dicitur, quod *universi homines, et cuncta, in quibus spiraculum vitae est in terra, mortui sunt. Remansit autem solus Noe, et qui cum eo erant in Arca.* Et tamen necesse est excipere Henoch, qui non fuit cum Noe in Arca, et quem Diluvio non periisse, omnes credunt. Quod si Scripturae textus restringendus est ad solos homines vitam mortalem communi modo in terra degentes; cur non etiam restringi poterit ad solam universam terram ab iisdem habitabilem? Qua super re cogimur quidem miraculum aliquod ponere, quo Deus Paradisi locum ab aquis Diluvii servaverit. Ut tamen advertit Bellarminus l. *de gr. primi hom. c.* 14., congruentius miraculum fuit prohiberi aquas, ne Paradisum obruerent, quam Henoch illic degens in aere supra aquas, aut in Terra in mediis aquis per integrum annum servari.

Ita quidem disserunt, qui affirmantem sententiam tuentur. Cum omnis tamen Mesopotamiae regio, in qua probabilius est, fuisse Paradisi locum, notissima sit, nec ullum Paradisi vestigium illic umquam repertum fuerit; satius proinde dicendum ducimus cum Natali Alex., *in hist. Eccl. de* 1. *Mundi aet. diss.* 2. *prop.* 3., illum amplius non superesse, atque ad illas hanc quaestionem pertinere, quae salva fide, qua Christiani sumus, ut D. Aug. loquitur, hinc, indeque disceptantur; Paradisus namque, in quem dicitur Eccli. 44., quod Henoch translatus fuit, nihil prohibet, quod intelligatur de alio voluptatis loco, quin ille idem fuerit, in quo primi hominis parentes creati fuere. Aliunde vero ex illa generali

Scripturae sententia, quod Diluvium Terram universam vastavit, ac delevit, adeoque et Paradisum terrestrem quoad cultum, ornatum, amoenitatem, rectum prorsus non videtur locum ullum excipere, quin ansa sic detur Scripturae Sacrae fidem, et veritatem cuique pro suo arbitratu elevandi. Nec semel quoque advertit D. Aug. in libris praesertim de Genesi ad litteram, fas non esse Theologis miracula commentitia admittere.

CAPUT II.

De Praeadamitarum fabula; seu an ante Adam alii quoque homines extiterint?

Alios ante Adam homines extitisse, docuit Peyrerius, dum adhuc esset Calvinista; qui tamen cum ejurasset sectam Calvinianam, simul cum hac proscripsit quoque Praeadamitarum doctrinam. Illam nihilominus non pauci recoquere ausi fuerunt: quare sit

Prop. Adam fuit universorum hominum primus; ante quem proinde alii homines non extiterunt. Est de fide.

Probatur ex Script.; Gen. namque c. 2., et 3. Adam dicitur primus hominum, et Heva *Mater cunctorum viventium*; quodque ante Adam *homo non erat, qui operaretur terram.* Exodi c. 20. additur, quod *sex diebus fecit Dominus Deus Coelum, et Terram, et omnia, quae in eis sunt.* Et Sap. 10, quod Adam primus fuit *Orbis Terrarum Pater.* Accedit quoque Apostolus, qui, ut legitur Act. c. 17., loquens Atheniensibus de Deo, *qui fecit Mundum, et omnia, quae in eo sunt*, ait: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.* Et ad Rom. 5. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Peccatum autem, et per peccatum mors intravit per Adam, dicente ibidem Apostolo: *Regnavit mors ab Adam*: Ergo et per eum omnes homines. Et 1. ad Cor. 15. *Primus homo Adam in animam viventem.* Et paullo post: *Primus homo de terra, terrenus, secundus homo de Coelo coelestis.* Cur autem

dixisset *primus homo* de terra factus Adam, si ante illum fuissent alii homines? Cur comparasset primum secundo Adae, si cum iste sit absolute primus, per quem omnes homines vivunt in spiritu, ille non esset absolute primus, per quem omnes homines vivunt in carne? Ex quibus sequitur, quod fabula Praeadamitarum luculentissime ex Sacris Litteris refellitur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° quod de Cain legitur Gen. 4., fuisse agricolam, et Abelem Pastorem ovium; quodque ille reprehensus a Deo fuerit his verbis: *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Ex his autem colligitur, fuisse et artes, et judices ante Cain flagitium; quod verisimile non videtur, si hominum origo Adam non praecessisset: Hominum ergo origo Adam praecesserat. 2.° quod de eodem Cain ibidem legitur, accepisse uxorem, et aedificasse urbem Henoch. Nullam autem feminam generaverat Adam; nec videtur quoque verisimile, quod habitatoribus ex Adam progenitis potuerit Cain referre Civitatem: Et nupsisse igitur feminae, quae ex Adam non prodierat, et habitatoribus ex Adam non progenitis constituisse Civitatem, consequens est. 3.° quod ait Ap. ad Rom. 5. *Usque ad legem peccatum erat in Mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*; ex quo sequitur, peccatum fuisse ante legem, quod non imputabatur. Sed non ante legem Mosaicam, nam peccata ante istam commissa imputata fuerunt; ut constat exemplo Adam, Cain, hominum per diluvium deletorum, Sodomitarum, etc.: Hoc peccatum ergo, quod non imputabatur, erat ante legem Adamo datam, et ante Adamum; ex quo sequitur; quod si ante legem Adamo datam, et ante Adamum erat peccatum, erant quoque ante Adamum peccatores, ideoque homines. 4.° quod idem Ap. ibi subdit: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* Si autem mors dominata est usque ad legem etiam in eos, qui non peccaverunt in Adam, alii quoque admittendi sunt homi-

nes mortales praeter Adae posteros: Praeter hos igitur alii quoque homines mortales admittendi sunt.

R. Ad 1., agrorum cultum, et pastoritiam artem exerceri potuisse in illa prima institutione absque aratro, ligone, vomere, caeterisque instrumentis postea inventis. Verborum vero, quibus Deus Cain reprehendit, sensum esse, quod poena sequitur culpam, torquente animum Synderesi, et Deo puniente, cum sibi placuerit, criminum auctores. Ad 2., silentium Scripturae de filiabus Adam neutiquam probare, Adam solos mares genuisse, quod credibile non est; nec obstare, quod Cain acceperit in uxorem aliquam ex suis sororibus, quod compellente tunc temporis necessitate, non erat contra jus naturale, prout in tract. de legibus c. 2. ostendimus. Unam vero, ac plures etiam potuisse Urbes condere, ex eo demonstrat D. Aug. l. 15. De Civitate Dei c. 8., quod primorum hominum vita tam longa fuerit, ut unius hominis filii potuerint etiam Urbes amplissimas constituere. Ad 3., sensum Ap. esse; quod ante legem Moysis non erat lex, qua arguente, peccatum demonstraretur; quod enim illud *imputabatur* accipi debeat pro *redarguebatur* ex eo patet, quod et ficti illi Praeadamitae fuissent homines, ideoque et lege naturali obstricti, cujus proinde transgressiones illis fuissent imputatae. Ad 4., Apostoli verba Praeadamitis nedum non favere, sed adversari; ait enim, eos etiam, qui non peccaverunt actualiter, seu propria voluntate, sicut Adam, quia tamen in eo peccaverunt originaliter, morti subjectos esse. Hujusmodi autem sunt infantes, in quos mors regnat, non ob peccatum aliquod actuale in similitudinem Adae, qui actualiter peccavit, sed quia ex ejus semine, omnes in Adam peccaverunt.

Objic. 2.°, quod humanam fidem superare videtur, potuisse homines ex uno Adam propagatos in Americam pervenire ante, vel post Diluvium, Oceani immensitate trajecta: Praeter homines igitur ex Ada oriundos alios quoque homines agnoscere cogimur.

R. Americam reliquo continenti vel adhaerere, vel saltem adhaerere potuisse versus Septentrionalem plagam; ac postea vel terrae motibus, vel aliis temporum vicissitudinibus ab eo disjunctam fuisse. Etiamque posito, quod semper ab eo interposito mari disjuncta fuerit, potuisse illuc vel homines sponte navigare, vel tempestatum vi

appellere, eo fere modo, quo Lusitani in Brasiliam saec. XV. appulere. Qua super re opinatur Laur. Berti, illic delatos fuisse ventorum vi; cum Tropicos transgredi tentassent, ac reditum attentare non potuerint, fueritque opus, ut illuc casu abriperentur, quia maris pericula, ac ventorum conversiones experti, licet proinde magna afficerentur redeundi cupiditate, partim tamen terrarum ubertate allecti, partim ventorum contrarietate, ac vi deterriti, reditum non attentarunt, aut si attentarunt, perierunt naufragio. Deo autem ita disponente, in navibus, quae tum in Americam, tum in dissitas insulas pervenerunt, erant etiam feminae, ut humani generis propagatio illic fieret, et terrae otiosae non remanerent.

CAPUT III.

De Animarum humanarum origine: an scilicet vel omnes simul initio temporis conditae fuerint; vel a parentibus in filios simul cum corpore traducantur; vel demum tunc a Deo creentur, quum corpori infunduntur?

Triplex confutandus error hic est: 1.° Origenis, qui *l.* 1. *Periarchon c.* 7., nedum animam primi hominis, sed et omnium animas ante corpora simul cum Angelis creatas fuisse docuit ab initio, ejusdemque naturae cum Angelis: atque ex iis alias in sui puritate remansisse: alias vero, cum deliquissent, fuisse in poenam corporibus, velut carceri, alligatas, et has esse animas hominum; quae secundum magis, vel minus graviter peccaverunt, in magis, vel minus nobile corpus detrusae fuere. 2.° eorum, qui animorum de uno in aliud corpus sive hominum, sive bestiarum pro meritorum varietate migrationem tenuere; in quo errore versatos fuisse Ægyptios, atque ab his ad Pythagoram illum manasse, scribit Photius *in Bibl. p.* 1004.. Idem quoque Platonem docuisse, testis est D. Aug. *l.* 10. *De Civ. Dei c.* 30.; quo errore Manichaeos quoque fuisse imbutos, tradit idem S. D. *haer.* 46.. Demum eorum, qui dixerunt, animas humanas a parentibus in filios simul cum corpore traduci: in qua opinione maximam Occidentalium partem fuisse D. Hieronymi tempore, testatur hic S. Doctor *ep.*

82 : immo quod ipse D. Augustinus anceps super hoc fuerit, patet ex ejus verbis *l.* 1. *de an.*, *et ejus orig.* c. 14, ubi, *Animas* (ait) *a Deo, non ex propagine fieri, sed novas singulis insufflari, probet qui potest, et fatebor, me didicisse ab illo, quod magna intentione quaerebam.* In qua perplexitate, et inquisitione fuisse etiam usque ad mortem, patet ex *l.* 1. *Retr.* c. 1. nec non ex l. 2. earumdem c. 56. Hujus vero dubitationis causa erat, quia ex eo quod anima dicebatur non esse ex traduce, Pelagiani conabantur evertere peccati originalis fidem; quomodo enim, ajebant, anima parvuli illam contraheret in instanti conceptionis, si illa non traducitur a parentibus, sed creatur a Deo, qui non est, neque esse potest peccati Auctor? Eas tamen non traduci a parentibus in filios per generationem, sed quotidie a Deo creari, adeo a plerisque saeculis exploratum est, ut si priscis illis temporibus, nondum eliquata veritate, potuerit in alterutram partem disputari, modo nefas est id vocare in dubium; ita ut saltem probabilius censeat Card. Gotti tenendum id de fide. Quibus praemissis, sit

Prop. I. Animas omnium hominum creatas ab initio fuisse ante corpora simul cum Angelis, inter alios Origenis errores amandandum: atque oppositum est de fide.

Prob. 1.° ex Gen 1., et 2., ubi formatio hominis describitur nihil commune habens cum Origenis deliramentis. 2.° ex illis Scripturae testimoniis, ubi sermo fit de Angelis, tamquam de substantiis mere spiritualibus, ac natura hominibus sublimioribus, ut fuse ostendimus, ubi de Angelis: Non ergo ejusdem cum Angelis naturae, ut deliravit Origenes. 3.° ex eo, ut ait Ap. ad Rom. 5., quod per peccatum primi hominis, utique in corpore perpetratum, mors intravit in Mundum. Supposita autem Origenis sententia, nusquam extitisset innocentiae status, qualis a Scriptura describitur, et ab Ecclesia defenditur. 4.° ex illis ejusdem Ap. verbis ad Rom. 9. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali.* Non ergo ante hominis nativitatem animae peccaverunt, immo nec fuerunt, neque enim otiosae fuissent. 5.° ex eo quod Scripturae hominibus passim exprobrant peccata praesentis vitae, non vero vitae anteactae. Unde autem ejusmodi silentium, nisi ex eo quod nulla fuit vita praecedens? 6.° ex PP., qui unanimiter Origeni sese in hoc opposue-

re, ex quibus si anceps aliquando Aug. fuerat, ut patet ex *l.* 1. *de lib. arb.* c. 12., suam postea dubitationem deposuit, ac sententiam catholicam docuit *l.* 1. *Retract*, c. 1., *l.* 12. *de Civ. Dei* c. 13., *etc.* Nec adversatur illud Sap. 8. *Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam; et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Pro conditione ergo meritorum praecedentium corpora aut inquinata, aut munda animabus deputantur. Respondetur enim neg. cons., relatis namque verbis aliud Salomon non ajebat, quam quod adhuc puer optimae indolis, ac temperiei fuerat; quodque cum Dei gratiae auxilio effectus esset magis bonus, eo pervenerat, ut in mortali corpore caste viveret.

Prop. II. Gentium quoque figmentis animarum ex uno in aliud corpus migratio accensenda est. Ita etiam de fide.

Prob. 1. ex c. 12. Eccl. *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Non rediret autem ad Deum, si in aliud corpus migraret.

2.° Multiplici ratione; 1.° enim nemo reminiscitur eorum, quae in alio corpore perpetravit; quare is, qui putat, se in alio corpore vitam egisse, nulla id ratione affirmat. 2.° Quia si animabus, dum in alia corpora migrant, ea deputantur, quae ipsarum meritis videntur congruere, ut porcorum corpora immundis, luporum falsariis, asinorum ignaris, etc., deberent profecto, tum ut admiplerent, quod negligenter praetermiserunt, tum ut poenam luerent commissorum, deberent, inquam, scelerum suorum reminisci, quibus talia corpora promeruerunt. Nemo autem praeteritorum factorum conscientia torquetur, sed illorum tantum, quae in corpore, quod gestat, perpetravit. 3.° Quia si forte in belluina corpora essent detrusae animae parentum, et amicorum, nedum non possent absque crudelitatis scelere verberari, sed et iis peculiaris honor esset habendus. Nemo autem id risu non excipit. Hinc ait Tullius *l.* 6. *de Republ.*, Platonis doctrinam displicuisse Porphyrio, quem puduit credere, *ne mater fortasse filium in mulam revoluta vectaret.*

Prop. III. Neque etiam dicendum, animam humanam traduci a parentibus in filios simul cum corpore; idque, ut scribit Laur. Berti, *certissimum est, atque catholicum dogma, cui nefas est refragari*: sed creden-

dum est, tunc a Deo creari, quum corpori infunditur; ut commune est, ac certum, non tamen de fide.

Prob. Et 1.° ex Script.; habetur enim Gen. 2., quod Adam videns ex se formatam Hevam, ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*; et non addidit; *Et anima de anima mea*. Quid clarius, quam quod anima non quidem ab homine in hominem traducitur, sed a Deo datur? Accedit ex Scripturis, quod sicut animam primi hominis dicunt a Deo inspiratam, ita eam singulis ab eodem dari pronunciant, non ex parentibus traduci. Ab ipso autem singulis dari pronunciant et Ps. 32. illis verbis: *Qui finxit singillatim corda eorum*; quo cordis nomine non raro solent animam significare: Et Zach. 12., ubi Deus dicitur extendens Coelum, et fundans terram, et *fingens spiritum hominis in eo*; quare sicut Deus solus extendit Coelum, et fundavit Terram; ita dicendum est, quod solus fingit spiritum in homine. Accedit quoque ex Scripturis illud Eccl. c. 12. *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. In quae D. Hier. *Ex quo satis ridendi sunt, qui putant, animas cum corporibus seri; et non a Deo, sed a corporum parentibus generari. Cum enim caro revertatur in terram, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est, Deum parentem animarum esse, non homines*. Quod demum confirmans Ap. ad heb. 12., parentes nostros vocat *patres carnis nostrae*, Deum autem *patrem spirituum*.

2.° Ex PP.; ita enim, praeter Hier. supra relatum, D. Leo M. ep. ad Turibium c. 10. *Catholica fides constanter praedicat, atque veraciter, quod animae hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec incorporentur, nisi ab Opifice Deo, qui ipsarum est Creator, et corporum.*

3.° Ex D. Th. cont. Gent. c. 86., ubi ait, errorem esse *Apollinaris, et sequacium ejus, animas ab animabus generari, sicut a corporibus corpora*. Et qu. 3. *de Potentia a.* 9., relatis tribus de origine animae opinionibus, 1.ª, quod omnes fuerunt seorsim creatae ab initio extra corpora, 2.ª, quod anima filii ex anima parentis propagetur, 3.ª, *animas, quum creantur, corpori infundi*, subdit: *Quae quidem opiniones, quamvis aliquo tempore sustinerentur, tamen primae duae*

postmodum judicio Ecclesiae sunt damnatae, et tertia approbata. Unde 1. p. q. 118. a. 2. concludit: *Et ideo haereticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine.* Hinc scribit quoque Bell. l. 4. de amiss. gr. c. 11., *Theologos omnes, qui a quingentis annis floruerunt, unanimi consensione tradere, quod singulorum animae creantur ex nihilo; nec tutum videri hoc tempore de singularum creatione haesitare.*

4.° Ratione ducta tum ex animarum dignitate, quia cum anima sit imago Dei, solumque Deum habens, ut suum ultimum finem, decuit quoque, ut ipse solus esset ejus principium: tum ex earum immortalitate, cum enim Deus solus sit vita indeficiens, solus ipse est, qui potest producere principium vitae, quod sit perpetuum.

Diximus autem, id commune esse, ac certum, non tamen de fide; docet enim Estius Dist. 17. l. 2. §. 14., non pertinere ad fidem, quippe quod nec evidentibus Scripturis ostenditur, nec certa traditione probatur, nec ullo Ecclesiae decreto fuit hactenus definitum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° ex Gen. 2., quod mulier dicitur sumpta a viro, absque eo quod in ejus formatione dicatur, Deum inspirasse in faciem ejus spiraculum vitae; ex quo sequi videtur, quod anima Hevae ex anima Adae prodierit, nec Deus aliam, quam primi hominis animam, produxerit ex nihilo. 2.°, quod, ut legitur ibidem, requievit Deus die septimo ab universo opere, quod patrarat. Non ergo aliud umquam ex nihilo produxit. 3.° quod, ut legitur c. 12., Abraham profecturus de Haran, tulit Sarai uxorem suam, et animas, quas fecerat in Haran. Et c. 46. habetur: *Cunctae animae, quae ingressae sunt cum Jacob in Ægyptum, et egressae sunt de femore illius, etc.* Non ergo creantur, quum infunduntur, sed ab ipsis generantibus prodeûnt, et de illorum femore egrediuntur. Dicitur demum Lev. 17., quod *anima omnis carnis in sanguine est.*

R. neg. cons.; nam quoad 1.m, tantum abest, quod formatio Hevae de Adam nobis adversetur, quin potius favet, ut supra ostendimus. Quoad 2.m, quod

tunc requievit Deus, ut exponit D. Th. l. cit.; *non quidem ab omni opere, cum dicatur Jo. 5. Pater meus usque modo operatur; sed a novis rerum generibus, et speciebus condendis.* Quoad 3.m, quod filii Abraham, et Jacob appellantur animae, ut exponit l. cit. idem S. Doctor *per synecdochen, qua ponitur pars pro toto, idest anima pro toto homine; et hoc ideo, quia anima est principalior pars hominis, et unumquodque totum videtur esse id, quod principalius est in eo.* Hinc dicitur, quod in tali Civitate sunt 60. millia animae, idest 60. millia homines. Cui accedit; quod si ad litteram relata verba accipiantur, dicendum esset, solas animas, relictis corporibus, in Ægyptum fuisse ingressas; quod est ridiculum. Ad 4.m, quod in relato Lev. loco sermo fit de animabus, non hominum, sed pecudum, quorum sanguinem Deus hebraeis interdicebat.

Objic. 2.° Si animae humanae tunc, quum corpori infunduntur, a Deo crearentur, originale peccatum non contraherent, nec contrahere possent, cum Deus, ut diximus, neque sit, neque esse possit peccati auctor. Illud autem contrahunt: Non ergo a Deo tunc, quum corpori infunduntur, per creationem sunt, sed a parentibus in filios simul cum corpore traducuntur.

R. neg. sequ. maj.; illud namque contrahunt, quia anima cum corpore, quod est ex semine Adam, unum hominem constituit; praeceptumque non comedendi de fructu vetito Adae impositum fuerat, tamquam capiti totius generis humani, quo idcirco peccante, *omnes* (ut ait Ap.) *in eo peccaverunt.* Qua super re consulantur, ne actum agamus, quae scripsimus in tract. de peccato orig. c. 3. pag. 46., et sequ.

CAPUT IV.

De Animae humanae Natura; ac praecise de ejus spiritualitate, et immortalitate.

Ex duabus, quibus homo constat, substantiis, aliud e Sacris Litteris non discimus quoad corpus, quam quod Deus formavit illud, ut dicitur Gen. 2., *de limo terrae.* Multa tamen discimus quoad animam; ac praetertim, quod condita a Deo fuerit, ut ibidem dici-

tur, *ad imaginem*, *et similitudinem suam*; cum enim Deus, ut suo loco ostendimus, sit cujusvis corporis expers, dici homo nequit ad imaginem, et similitudinem Dei quoad corpus, ideoque ad ejus imaginem, et similitudinem dicendus est quoad animam. Hinc D. Aug. tr. 8. in ep. Jo. *Ubi factus est homo ad imaginem Dei? In intellectu, in interiore homine, in eo, quod intelligit veritatem.* Sub qua autem ratione anima hominis dicatur condita ad Dei imaginem, et similitudinem, non una est omnium sententia; in eo enim id esse agnovit D. Aug. *l. cit tr.* 3., quod ratiocinandi facultate gaudet, quodque incorporea est, et immortalis, uti ipse Deus; D. Ambr. *in Hexameron l.* 6, in eo, quod arbitrii libertate fruitur; D. Chrysost. *hom.* 10. *in Gen.* in eo, quod imperio, et dominatu super omnes animantes, aliasque creaturas sibi inferiores potitur; alii, quos inter laud. quoque Ambr. *l. de bono mort. c.* 5., hanc Dei similitudinem, et imaginem in virtute, et justitia constituunt: *Fuga malorum* (ita laud. S. D.) *similitudo Dei est, et virtutibus imago Dei acquiritur*; Nyssenus vero in eo, quod est capax sapientiae virtutis, gratiae, beatitudinis, visionis Dei, omnisque boni. Ita *ap. Alap.*; apud quem demum D. Joannes Damascenus in eo illam collocat, quod sit intellectu, voluntate, ac memoria praedita. Quorum tamen sententiae jungi possunt, ita ut ad perfectam imaginis, et similitudinis cum Deo in anima humana complendam rationem singulae aliquid conferre censeantur, atque ita homo dicatur esse ad imaginem, et similitudinem Dei factus, quatenus est rationis capax, arbitrii libertate praeditus, imperio, et dominatu in creaturas sibi inferiores a Deo donatus, et virtutum, ac sanctitatis decore conspicuus.

Qua super re omittendum denique non est, quod ejus imago supernaturalis sita est in gratia habituali, qua ornetur, sitque Divinae consors naturae. In ea autem conditum Adam fuisse, infra ostendemus; ob quam ad litteram etiam intelligendum esse, quod conditus fuit ad imaginem, et similitudinem Dei, patet tum ex Apostolo ep. ad Coloss. 3. 10., et ep. ad Eph. 4. 24., tum ex Patribus, qui passim id docent. Ad quod etiam referuntur illa ejusdem Apostoli verba ad Eph. 4. 23. *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis*; cum enim homo hanc

Dei imaginem, secundum quam creatus fuerat, perdiderit per peccatum, eam denuo, auxiliante Dei gratia, per justificationem adipisci potest.

Ex hac vero cum Deo similitudine sequitur etiam, animam humanam spiritualem esse, et immortalem; quod nempe ejus natura et longe diversa sit a corpore, et quod dum hoc interitui subjacet, ipsa superstes sit, ac numquam finem sit habitura. Animae quidem spiritualitatem, praeter Gentiles Philosophos non paucos, negarunt quoque Sadducaei, sicut etiam Tertullianus l. de An. a c. 5. usque ad 11., de quo ita idcirco D. Aug. l. de haer. c. 85; et l. 10. de Gen. ad litt. c. 25. *Corpus esse animam, credidit, non ob aliud, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, et ideo timuit, ne nihil esset, si corpus non esset; nec de Deo valuit aliter sapere.* Quod tamen sit spiritualis, nedum certum, et commune est, sed *doctrinam* vocat Habertus *apud Catholicos certissimam* (tract. de Creat. p. 2. c. 2. qu. 4:); utque addit Laur. Berti De Theol. Discipl. l. 12. c. 3., *corporeae naturae animam esse, Athei soli, et homines de grege Epicuri iniquissime autumant.* Ipsius vero immortalitatem negarunt et Sadducaei, et Samaritani, ac novissime Sociniani haereticorum omnium pessimi: sed oppositum docet fides Catholica. Cumque adversus utramque veritatem nunc quoque temporis totis viribus pugnent quotquot nostrae Sacrosanctae Religionis jugum aegre ferunt, utramque idcirco firmiter contra eos statuere, operae pretium erit, ac sequentibus propositionibus aggredimur.

Prop. I. Anima humana est prorsus spiritualis. Est, ut diximus, commune, et certum. Immo Card. Gotti id pronunciat *de fide*: Laurentius Berti l. cit. vocat *propositionem, quam Lateranense Concilium IV. C.* Firmiter *apertissime definivit*: utque scribit Antonius Genuensis in Elementis Metaph. Benedicto XIV. inscriptis p. 3. c. 1. prop. 15., *dogmata incorporalitatis, et immortalitatis animorum sunt Christianae Religionis dogmata.* Quibus et nos nomen damus.

Prob. Et 1.° ex Script.: ut ex Gen. 2., ubi homo, nempe ipsius anima, dicitur ad imaginem Dei condita. Sed Deus est Spiritus, ac prorsus Spiritus: Ergo et anima humana. Hinc D. Aug. l. de Gen. ad litt. c. 24: *Nihil vicinius, ac fortasse nihil tam consequens,*

quam ut, credito, quod anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur. Talis quoque praedicatur Eccl. 12., ubi: *Et revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*; idest spiritus, prout a corpore distinguitur, ideoque stricto sensu. Et 1. ad Cor. 12., ubi: *Quis hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in eo est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Sed Spiritus Dei est omnis prorsus corporis expers; sumitque Apostolus utrobique *Spiritus* vocem in eadem significatione: Et Spiritus hominis igitur omnis prorsus corporis expers dicendus est.

2.° Ex Conc.; ejus namque spiritualitatem, tamquam veritatem Catholicam, proposuisse, ac statuisse credendam Conc. Lat. IV. C. *Firmiter*, ex eo patet, quod creaturam humanam pronunciavit *ex spiritu, et corpore constitutam*; quibus verbis animam humanam nedum appellavit spiritum, sed et proprie dictum, cum illam a corpore distinxerit. Hinc merito ait l. cit. Laur. Berti, quod *Lat. Concilium IV. c.* Firmiter *hanc propositionem apertissime definivit.*

3.° Ex PP., qui unanimiter id docent; ex quibus sufficiat D. Aug. ep. ad Hier., et in Ps. 145., ubi de anima humana ita scribit: *Res spiritualis est, res incorporea est, vicina substantiae Dei.* Hieronymus vero in c. 12. D. Matth. eamdem veritatem probat ex illis Christi verbis: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

4.° Multiplici ratione. Et 1.° quia operatio sequitur esse, ut enim ait D. Th. 1. p. q. 75. a. 1., *eo modo aliquid operatur, quo est*; hinc si animae operationes, prout perceptio, conscientia, judicium, ratiocinatio, corporis prorsus esse nequeunt, neque etiam animam corpus esse posse, consequens est. Animae autem operationes corporis prorsus esse nequeunt; sunt enim animae operationes totidem ejus mutationes, nec quidquam mutationis corpori advenit, vel advenire potest, ut cuivis consideranti patet, nisi per partium suarum motum, qualis nec perceptio, nec conscientia, nec judicium, nec ratiocinatio esse potest. *Non perceptio*; 1.° enim percipimus res, quae nullam in corpore motionem excitare queunt, ut Deum, virtutes, vitia, possibilitates, et essentias rerum, ac cetera innumera. 2.° quia diversae perceptiones forent utique diversi motus; qui, dum di-

versae perceptiones simul in nobis existunt, vel essent in diversis corporis partibus, vel in eadem. Non primum, quia contra intimum sensum, ex quo liquet, quod ego ipse, qui habeo, et dum habeo perceptionem rubedinis rosae, simul quoque habeo perceptionem ejus odoris, mollitiei, figurae, etc. Non alterum, nam una, eademque corporis pars nequit eodem temporis momento diversis motibus, quin hi confundantur, agitari. *Non conscientia*; 1.° enim cum conscientia sit perceptio, seu repraesentatio perceptionis, hinc motus, qui conscientiam gigneret, vel esset similis illi, qui simplicem perceptionem gignit, vel dissimilis. Posito autem, quod illi esset similis, non ideo alterum repraesentare posset, quinam motus enim alteri similior, quam sonus reflexus sono directo? Hunc tamen ab illo non repraesentari, ex eo patet, quod si quis ignoraret, dato in loco hechum adesse, seu potentiam reflectendi sonos editos, ignoraret etiam, utrum sonus ille reflexus, an directus foret. Posito vero, quod illi esset dissimilis, unum ab altero repraesentari non posse, manifestum est, sed quemadmodum motus curvilineus ex. gr. unius corporis motum rectilineum alterius repraesentare non potest, neque etiam posterior perceptio esset prioris repraesentatio. 2.° quia, ut supra diximus, vel motiones hujusmodi essent in diversis corporis partibus, vel in eadem; quorum rursus utrumque repugnat. *Non judicium*; 1.° enim cum nequeant ideae inter se conferri, ut in judicio fit, nisi simul eidem enti praesentes adsint, deberent proinde duo diversi motus, quorum unus ideam subjecti, alter ideam praedicati constitueret, in eadem corporis parte absque confusione simul consistere; quod repugnat. 2.° quia cum in judicio affirmativo ideae subjecti, et praedicati per affirmationem conjungantur, conjungerentur in hac hypothesi duo diversi motus; per quam conjunctionem duo illi motus diversi perirent, aliusque compositus, et ab illis diversus oriretur, Intimo autem sensu evidenter constat, ideas subjecti, et praedicati nec in ipso judicii affirmativi actu, nec subinde perire. *Non demum ratiocinatio*, utpote tribus judiciis constans: Nec perceptio igitur, nec conscientia, nec judicium, nec ratiocinatio motus esse possunt; nec proinde esse possunt corporis operationes, quippe quod nihil mutationis cor-

pori advenit, vel advenire potest, nisi per partium suarum motum.

Paucis vero sufficiat ostendere, quod neque etiam esse possunt *motionis modus*; quicumque enim qualitatis modus aliud non est, nisi ipsa qualitas sub certa modificatione, seu respectu considerata. Neque etiam *actio, ac reactio partium*; quid namque actio, ac reactio hujusmodi, nisi etiam motus? Neque etiam *conatus ad motum*; vel enim hic conatus esset efficax, vel inefficax. Primum autem esset motus, ac proinde aliquod toto Coelo diversum a cogitatione. Alterum vero quid, nisi conatus ad aliquod toto Coelo a cogitatione diversum, nec proinde prorsus cogitatio? Neque demum *effectus motus*; 1.° quia effectus suae causae assimilari debet. Ex ostensis autem nulla inter cogitationem, et motum similitudo adest. 2.° quia motus, quatenus cogitationis causa, eam praecedere deberet, ex quo sequeretur, quod cogitationes omnes essent absque alicujus ductu. Si autem absque alicujus ductu, ubinam amplius et tot sublimia ratiocinia, et libertas eligendi, et providentia in actionibus? 3.° quia motus alium producere nequit in corpore effectum, quam diversum situm, positionem, distantiam, aut contiguitatem partium. *Quantumcumque* autem (ait Lockius Essai phil. conc. l'entend. hum. l. 4. ch. 10. §. 16.) *particulae materiae cogitatione destitutae inter se misceantur, aut commoveantur, nihil tamen ipsis additur, quam nova quaedam localis relatio, per quam fieri omnino nequit, ut ipsis cogitatio, et cognitio communicetur.*

2.° Si id, quod in nobis cogitat, esset corpus, seu Ens compositum, profecto vel cogitaret, quatenus corpus, seu Ens compositum, ita nempe, ut quaevis ejus pars seorsim sumpta careret cogitandi vi; vel vis, qua cogitat, singulis ejus partibus inesset. Si 1.m, profecto etiam totum compositum careret cogitandi vi, tum quia compositum aliud non est, quam partes certo modo conjunctae, ex quibus quo demum eumque modo conjunctis nullatenus vis activa oriri potest: tum quia vis, quaevis sit, nequit, nisi substantiae, convenire, quippe quod extra substantiam existere nequaquam possunt accidentia; nec proinde vis cogitandi, dum singulis partibus non conveniret, conveniret tamen unioni partium, quippe quae unio an aliud, nisi accidens? Si vero alterum, vel ea vis

esset in singulis partibus completa, vel incompleta. At non 1.m, cum in hoc casu quaevis pars esset Ens cogitans, totque in nobis essent entia cogitantia, quot ejus, quod in nobis cogitat, essent partes; quod falsum esse, unicuique constat ex sensu intimo. Neque etiam alterum, 1.° quia haec vis cogitandi incompleta est prorsus imperceptibilis. 2.° quia tunc ex pluribus viribus incompletis exurgere potest vis completa, cum terminus est externus. Vis autem cogitandi, cum sit vis sibi repraesentativa objecti, internum habet terminum, non externum, sibi enim repraesentat objectum, non alteri. 3.° quia in hoc casu sicut vis cogitandi completa ex pluribus viribus imcompletis exurgeret, ita et quaevis perceptio completa ex pluribus perceptionibus incompletis, et quasi initialibus. Hoc autem et absurdum dictu, et incompossibile cum tot perceptionum, puta virtutis, affirmationis, negationis, etc., simplicitate. Quibus perpensis, id, quod in nobis cogitat, corpus non esse, seu Ens compositum, consequens est.

3.° Si quod in nobis cogitat esset corpus, seu Ens compositum, *ea mentis pars* (ut disserit Mako comp. Met. inst. Psych. §. 436. schol.). *quae in extremitate nervorum in nares dimanantium sentiret odorem rosae, non posset advertere rubicundum ejus colorem, quem alia animae particula sita in extremo nervo optico perciperet; atque ita pars ea, quae sensum odoris habet, non foret coloris sibi conscia, quo necessario alia mentis portio afficeretur. Atqui sensum utrumque eadem individua pars debet excipere, si enim alia odorem, alia colorem sentiret, non magis posset eorum discrimen a nobis animadverti, quam si alius tantum odorem, alius tantum colorem persensisset*: eo fere modo, quo ex duobus hominibus, quorum unus esset caecus, alter vero ob narium affectionem odorem non sentiret, neuter discrimen inter colorem, et odorem animadvertere posset. Sive, ut idem diversimode dicamus, si anima esset corpus, seu Ens compositum, cum in manu haberem rosam, una mentis pars perciperet ejus colorem, altera ejus odorem, perciperet enim colorem per nervos opticos, odorem vero per olfactorios; aliaque est pars, ubi desinunt nervi optici, alia, ubi desinunt nervi olfactorii. Id autem, nedum intimo sensui opponitur, sed praeterea si alia mentis pars colorem, alia odorem rosae perciperet,

nullum discrimen fieret, immo fieri posset inter utrumque, propterea quod pars mentis, quae colorem agnosceret, ignoraret odorem, et quae agnosceret odorem, ignoraret colorem: Rursum ergo evidens, id quod in nobis cogitat, corpus, seu Ens compositum non esse.

4.° Nequeunt profecto causae limites propriae naturae praetergredi, ac in modo operandi nobiliorem sphaeram, quam suapte natura habeant, prodere; ex quo sequitur, quod si Ens in nobis cogitans non esset spirituale, neque etiam res mere spirituales assequi posset; quid enim clarius, quam quod sicut oculus nequit umquam, quid sonus sit, nec auris, quid splendor sit, assequi, ita nec Ens in nobis cogitans ideas sibi cudere rerum spiritualium posset, nisi ipsum quoque natura spirituale esset? Res autem mere spirituales assequitur, prout sunt tot absque numero veritates ad mathesim, ac metaphysicam pertinentes; ac nedum res mere spirituales assequitur, verum etiam res ipsas sensibiles ita spirituales efficit, ac quavis concretione expoliat, ut inde extrahens, si ita loqui fas est, quemdam intelligentiae spiritum, tot inde ideas abstractas sibi comparat: Natura igitur ipsum quoque spirituale est dicendum.

5.° Si corpus, neque ut corpus, neque ut tale corpus, hujus nempe, vel illius generis, cogitare potest, neque etiam quod in nobis cogitat ullatenus corpus dicendum est. Nequit autem corpus, prout corpus, cogitare; hoc enim posito, et foenum agri, et quodvis arenae granum, et quodvis aliud corpus cogitaret. Neque etiam, prout corpus hujus, vel illius generis; nihil enim clarius, ut supra diximus, quam quod partium collocatio, distributio, cohaesio, ex quibus corporum diversitas exurgit, nihil realitatis ipsis partibus addit, unde exurgat vis cogitandi, tametsi partibus nulla insit cogitandi vis: *Quantumcumque* (huc quoque recidunt Lokii verba superius relata) *particulae materiae cogitatione destitutae inter se misceantur, aut commoveantur, nihil tamen ipsis additur, quam nova quaedam localis relatio, per quam fieri omnino nequit, ut ipsis cogitatio, et cognitio communicetur.* Cum ergo id, quod in nobis cogitat, neque simpliciter, ut corpus, neque, ut corpus hujus, vel illius generis, cogitare possit, consequens profecto est, quod nullatenus corpus dicendum sit.

6.° Cujusvis generis, et cujusvis subtilitatis sit ali-

quod corpus, partes semper habere, dicendum est, in quas iterum, atque iterum posset dividi; ex quo sequitur, quod si Ens in nobis cogitans esset corpus, ejus quoque cogitationes ejusdem naturae essent, iterum scilicet, atque iterum divisibiles, tum quia omnis affectio induit naturam subjecti, quod afficit, tum quia hoc ipso, quod panderentur per totum Ens compositum cogitans, quemadmodum ex intimo sensu per totam animam panduntur, hoc ipso, inquam, essent divisibiles, prout ipsum Ens cogitans. Id autem 1.º falsum, et absurdum esse, praesertim si loquamur de quibusdam cogitationibus omnino simplicibus, nemo est, qui non videat. 2.º numquam Ens cogitans repraesentare sibi posset imaginem quamdam completam, objectumque aliquod integrum. 3.º impossibile eidem esset ex hoc quoque capite vel conscientia, vel judicium, vel ratiocinatio, cum enim haec plurium idearum unionem requirant, totidem quoque partes cum suis respondentibus ideis compenetrari deberent, quod essentiali ipsarum soliditati obstaret: Et rursum igitur evidens, Ens in nobis cogitans corpus non esse.

7.º Intimo cuique sensu constat, quod, sive attendamus illis ideis, quae per eumdem sensum acquiruntur, omnium tamen unum, idemque est earum subjectum; unum ex. gr., idemque subjectum, quod et vultus, et quod oculorum colorem percipit, etc.: sive attendamus illis ideis, quae acquiruntur per diversos sensus, omniumque etiam unum, idemque est earum subjectum, quod ex. gr., dum olfacimus naribus, videmus oculis, audimus auribus, olfacit tamen, videt, audit. Unum autem non esset, si nostrarum sensationum principium esset corpus; illa enim animae pars, quae reciperet colorem vultus, non reciperet colorem oculorum; et quae odoris haberet sensum, neque esset, neque esse posset coloris, vel soni conscia: ideoque, sive de illis ideis, quae per diversos sensus acquiruntur, sive etiam de illis, quae acquiruntur per eumdem sensum, agatur, nec haberetur, nec haberi posset illa unitas, quam intimo sensu experimur: Non ergo corpus nostrarum sensationum principium, sed aliquid omnino a corpore diversum, seu Ens spirituale; cujus proinde naturae animam humanam esse, consequens est.

8.º Demum neminem latet, quod principium in nobis cogitans de ipsis sensationibus judicium profert. ac videns baculum curvum in aqua, judicat contra id,

quod sensus visus ipsi refert, eum esse rectum, ac curvum sibi videri ob lucis refractionem: Videns Solis diametrum paullo majus palmo, judicat quoque contra id, quod idem sensus ipsi refert, illud tota Terra, nedum longe, sed millies, ac millies esse majus, ac tale sibi videri ob ipsius Solis distantiam: Videns juvenem pulcherrimum, quem simul scit scelestum, nedum in eo sibi non complacet, sed et eum odio habet, et abominatur; dum e contrario hominem senio, egestate, ac infirmitatibus confectum, quia simul scit virtutibus decorum, toto cordis affectu prosequitur: *Quid tibi videtur* (ita apposite D. Aug. tr. 7. in Jo.) *juvenis pulcherrimus? Audis, quia fur est, fugis hominem animo: dum senio confectum audis, quia justus est, amas, complecteris.* Nihil autem horum locum haberet, si nostrarum sensationum, nostrorumque judiciorum, atque affectuum principium esset corpus; adeo namque abesset, quod ejusmodi principium sensuum illusiones, affectionesque posset corrigere, ut potius impressiones, quas ab iis reciperet, sequi constanter deberet, nec posset non sequi. Et sane quum de baculo in aqua posito (ut et dicendum de aliis sensuum illusionibus, ac affectionibus, quas mens corrigit), tametsi visus illum, tamquam curvum, referat, ratione tamen judicamus, illum esse rectum, quum, inquam, ratio ita judicat, vel motio baculum referens, tamquam curvum, periit, vel non. Si periit, undenam judicium, quod baculus sit curvus? Si non periit, undenam judicium, quod sit rectus? An phantasma sese erroris reprehendit? An reprehenditur ab alio phantasmate? Sed unde hoc aliud phantasma? *Aliud igitur sumus nos* (concludit D. Aug. Soliloq. l. 2. c. 3.), *aliud sensus, siquidem quum ipse fallitur, possumus nos non falli.*

Quibus positis, ita praeclare Tullius in QQ. Tusc. l. 1. c. 27. *Singularis est natura, atque vis animi, sejuncta ab his usitatis, notisque naturis: his enim nihil inest, quod vim memoriae, mentis, atque cogitationis habeat, quod et praeterita teneat, et futura praevideat, et complecti possit praesentia. Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, Coeleste, et Divinum est. Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam, et libera, segregata ab omni*

concretione mortali , omnia sentiens, et movens, ipsaque praedita motu sempiterno.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.º Potest ex non compositis effici compositum ; ex non extensis extensum ; ex partibus , quae nequeant designare horas , effici horologium , quod horas designet : Quidni igitur ex partibus non cogitantibus effici Ens cogitans ?

R. neg. cons. , et paritatem ; quum enim agitur de praedicatis relativis ad notionem aggregati , ideoque partibus seorsim sumptis , sin adaequate , inadaequate tamen , seu initialiter, convenientibus , nihil prohibet, ut alibi etiam diximus, quod, tametsi praedicatum non conveniat partibus seorsim sumptis , his tamen simul sumptis conveniat : ac de id genus praedicatis agitur in allatis exemplis , ut cuivis consideranti fit perspicuum. At non ita, quum agitur de praedicatis, quae sint absoluta , ac partibus seorsim sumptis nullatenus conveniant ; nam in hoc casu cum nec adaequate, nec inadaequate , seu initialiter, partibus seorsim sumptis conveniant, neque etiam iis simul sumptis possunt convenire : hujusque generis est cogitandi vis , utpote nullatenus relativa ad notionem aggregati , sed internum entis statum afficiens ; unde si quod Ens cogitationis sit incapax , haec incapacitas etiam in collectione plurium talium perseverat ; ac tam repugnat, ut ex non cogitantibus fiat unum cogitans , quam ut ex contingentibus Ens necessarium exurgat , ac ex collectione zerorum unitas oriri possit.

Objic. 2.º Si nulla inter corpus , et spiritum proportio apparet , neque etiam concipi potest, quomodo anima, si esset spiritus , uniri posset cum corpore. Nulla autem inter corpus , et spiritum proportio apparet: Neque igitur concipi potest , quomodo anima , si esset spiritus, uniri posset cum corpore.

R. dist. min. ; quod nempe nulla apparet inter corpus , et spiritum proportio , quae in similitudine naturarum consistat , cum corpus , et spiritus sint entia toto genere diversa ; at bene apparet inter corpus , et spiritum talis proportio , qualis dari potest inter subjectum , et formam , cum talem corpus habilitatem habeat , ut ,

tamquam subjectum, a spiritu, velut forma, perficiatur. Quod vero concipi nequeat, quomodo anima, cum sit spiritus, uniri possit cum corpore, mirum esse non debet, tum quia multo obscurius est, quomodo corpus, aut materia cogitare possit; tum quia argumenta a nostra ignorantia desumpta contra claram veritatem nullius roboris sunt.

Objic. 3.° Si forma, et subjectum ejusdem naturae esse debent; estque anima in homine ejus corporis forma, ejusdem quoque naturae cum corpore dicenda est. Forma autem ejusdem naturae cum subjecto esse debet, quippe quod in ipso recipitur; estque anima in homine ejus Corporis forma tum ex concessis, tum ex Conc. Vienn., ubi dictum fuit Clementina unica De Summa Trinit. *Doctrinam, seu propositionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis, seu intellectivae, vere, ac per se humani corporis non sit forma, ut erroneam, et veritati Catholicae inimicam, praedicto approbante Concilio, reprobamus. Si quis deinceps asserere, defendere, aut tenere pertinaciter praesumpserit, tamquam haereticus, sit censendus.*

R. dist. maj.; quod nempe forma, et subjectum ejusdem naturae esse debent, si agatur de forma accidentali, quae proinde ita recipiatur in subjecto, ut ab eo in existendo pendeat; non vero si agatur de forma substantiali, quae in eo recepta per se existat. Hujus autem secundi generis est anima in homine ejus corporis forma; substantialis nempe forma, ac Ens per se existens, quod proinde a corpore nulla prorsus ratione in existendo pendet; immo eatenus solum ejus corporis est forma, quatenus ei dominatur, illud regit, eodem, velut instrumento, ad res externas percipiendas, et motus spontaneos exercendos utitur, ac demum, quatenus, tamquam nobilior hominis pars, efficit, ut per ejus unionem cum corpore compositum ex ipsa, et corpore exurgens homo dicatur.

Objic. 4.° Talis inter animam humanam, et corpus harmonia adest, ut mutuis bonis, ac malis afficiantur, eaque proportione vires animi augeantur, ac minuantur, qua corpus roboratur, ac debilitatur. Haec autem in naturam spiritualem cadere nequeunt: Non ergo spiritualis animae humanae natura.

R. dist. min. ; quod nempe in spiritualem naturam cadere nequeunt directe ex naturarum similitudine ; utique tamen indirecte ex mutua unione inter animam, et corpus, hinc enim sequi debet, quod, hac manente, inter requisita potentiae proximae, ac completae ad agendum animae sic unitae locum habeat recta corporis, organorum, ac praecipue sensorii communis constitutio ; quare pro perfectione, aut imperfectione corporis anima quoque perfectius, aut imperfectius agat. At, ea sublata, jam absque corporis, ac sensuum ministerio ejus potentia ad agendum erit proxima, ac completa ; nam objecta intime ipsi praesentia, ut sui ipsius essentiam, affectiones, etc., uti etiam cogitationes praeteritas, et olim in corpore habitas posse per se attingere, nec non circa ea reflectendo, abstrahendo, componendo versari, perspicuum est : quemadmodum posse etiam per se ratiocinando versari circa suam contingentiam, ac mutabilitatem, atque hinc ad contemplationem Entis necessarii, ac infinitarum in eo perfectionum assurgere, probatione non eget. Quod vero objecta sensibilia poterit quoque absque sensuum ministerio attingere, ex eo evincitur, quod ideo absque horum ministerio haec modo attingere nequit, quia id, quod absens est, ab ipsa cognosci nequit; nec nisi sensuum ministerio ipsi praesentia reddi debent, ac possunt in statu unionis cum corpore. Quamprimum tamen anima a corpore avolaverit, poterunt ipsi objecta sensibilia vel per se se, vel alio modo praesentia reddi ; ipsaque similiter poterit circa illa immediate praesentia eodem modo cognoscendo versari, quo nunc versatur circa cerebri motiones sibi proxime praesentes, quarum ope objecta externa percipit. Quibus accedit, quod a corpore soluta perfectius quoque cujusvis generis objecta assequetur ; ut enim disserit Abb. Flexier in Catech. Phil. l. 2. c. 1. §. 4., *per quanto siano perfetti gli organi di un corpo mortale, sempre oppongono qualche resistenza alle sublimi operazioni di questo Essere attivo, e rapido.* Hinc infert : *Egli non prenderà il suo volo, se non quando ne sarà liberato, o il suo istromento sarà stato riformato nel lume di una vita gloriosa, ed immortale.*

Prop. II. Anima humana est immortalis ; idque non ex dono gratuito, sed suapte natura. Prima pars est de fide catholica. Altera, ut docet Canus De loc. Theol. l. 12. c. 14., de fide theologica ; ait enim, doctrinae

oppositae *haereseos notam inurendam*, *quando ad Sedem Apostolicam refcratur.*

Prob. 1. pars. Et 1.° ex Scripturis, ubi innumera extant hac super re testimonia. Et quidem 1.° ex ipsius Pentateuchi initio, ubi legitur promissio Adae, et Hevae facta post eorum casum futuri Messiae, qui Diaboli opus destruxisset, ac hominem peccato perditum salvum faceret; *denuntians* (ut D. Leo loquitur ser. 2. in Nativ. Dom: c. 1.) *Serpenti futurum semen Mulieris*, *quod noxii capitis elationem sua virtute contereret*; *Christum scilicet in carne venturum*, *etc.* Si autem totus homo moreretur, quaenam esset ista hominis salus? Item Geneseos c. 15. legitur Deus dixisse ad Abraham: *Ibis ad Patres tuos in pace*, *sepultus in senectute bona.* Et c. 25., narrata ejusdem morte, dicitur *congregatus ad Patres suos.* Si nulla autem post hanc superesset vita, ubinam iturus erat, ut congregaretur ad Patres suos, atque his morte conjunctus esset; maxime cum sepultus fuerit longe a Chaldaea, et Mesopotamia, quam Patriam habuerat? Jacob quoque c. 37. lugens filium suum Ioseph, tunc se, ait, a lacrymis temperaturum, quum *descenderet ad filium suum in Infernum.* Inferni autem nomine sepulchrum non intellexisse, patet 1.° ex eo, quod filium suum Joseph a fera putabat voratum fuisse, nec proinde ejus ossa in sepulchro extare: ac 2.° ex eo, quod si nec eum amplius vivere, nec se post hanc vitam victurum putasset, neque etiam dicere potuisset, quod ad filium suum in Infernum descenderet. De quo item legitur c. 47., quod mox moriturus, *dormiam* (ait) *cum Patribus meis*; oravitque, ut *conderetur in sepulchro Majorum suorum.* Nec mortem autem somnum vocasset, nisi animus corpore solutus ab eo velut excitaretur: nec in se distinxisset et quod aggregaretur Patribus suis, et quod terrae consepeliretur, nisi, dum corpus sepulchro conditur, animus alterius vitae regionem peteret. Hinc quoque cum benedixisset filios suos benedictionibus propriis, inquit, ut legitur c. 49. *Salutare tuum expectabo*, *Domine*: quod profecto post mortem expectare non potuisset, si omnino tunc periisset, nec alterius post hanc vitae habuisset fidem. Quo etiam refertur et Balaami votum Num. c. 23. *Moriatur anima mea morte justorum*, *et fiant novissima mea horum similia*; quodnam enim discrimen justorum inter, ac impiorum mor-

tem, si nulla post praesentem superesset vita, nec, defuncto corpore, quidquam vel sperandum, vel timendum esset? Et prohibitio Deut. 18., ne quis *Pythones consuleret, aut quaereret a mortuis veritatem*; hos namque consulendi ubinam fuisset locus, nisi creditum fuisset, eorum animos adhuc vivere? Et demum quod Exodi c. 3. multo post mortem corporalem Abraham, Jsaac, et Jacob legitur Deus dixisse Moysi: *Ego sum Deus patris tui. Deus Abraham, Deus Jsaac, et Deus Iacob.* Quem locum afferens Christus contra Sadducaeos Matth. 22., ita subjunxit: *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Non vivebant autem praefati Patriarchae quoad corpus: Vivebant ergo quoad animam; unde Chrysost. hom. 7. in Matth. ait: *Non enim dixit eram, sed sum; eorum scilicet, qui sunt, et vivunt.* Ex quibus patet, quam inscite scripserit Warburton Episcopus Anglus, cumque eo dicant non pauci ex Heterodoxis, quod nec vestigium de altera post hanc vita in Pentateucho extet.

Innuere porro sufficiat alios quoque veteris Testamenti textus, ut pateat, quam impudentius Voltairius, ejusque gregales post Morgan, et Bolingbroke scribere ausi fuerint, quod ante captivitatem Babylonicam nulla fuerit apud Hebraeos immortalitatis animorum fides. Accedit namque allatis ex Pentateucho textibus et Job. c. 19. *Scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. reposita est haec spes mea in sinu meo.* Et Regius Psaltes inquiens Ps. 35. de justis: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos*: De impiis vero Ps. 20. *Pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultus tui. et devorabit eos ignis.* Et Ecclesiastes c. 12.: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat; et Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et Scriptor Sap. c. 3. *Iustorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, etc.* Et Tobias c. 2: *Filii Sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est iis, qui fidem suam numquam mutant ab eo.* Et Judith. c. 16. *Dominus Omnipotens vindicabit in eis, in die Iudicii visitabit illos; dabit enim ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur,*

et sentiant usque in sempiternum. Et Isaias c. 31. *Quis habitare poterit de vobis cum igne devorante ; aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis ?* Et Daniel c. 17. *Multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt ; alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium, ut videant semper ;* ubi verbum *multi*, ut non raro fit in Scripturis, accipitur pro omnibus, ac numeri extensionem, et plenitudinem significat. Quibus similia alia etiam, atque alia praesto essent, nisi oratio in longum valde abiret.

Properemus modo ad Novum Testamentum, ubi Christus nedum animorum immortalitatem ostendit contra Sadducaeos ex relato Exodi textu: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*, sed eidem quoque veritati fidem facit Matth. 25. illis verbis: *Et ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam.* Nec non Jo. 12. illis verbis: *Qui odit animam suam in hoc Mundo, in vitam aeternam custodit eam*: Quae ipsa meridiei luce clariora sunt. Hinc quoque legitur Matth. 10. dixisse: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Si autem anima cum corpore interiret, quidquid occideret corpus, animam quoque eo ipso occideret: Si ergo homines corpus quidem occidere possunt, non item animam, hanc profecto non interire cum corpore, consequens est.

Accedunt quoque ex Script. et illa Apoc. verba c. 6. *Vidi subtus Altare animas interfectorum propter Verbum Dei. Et clamabant voce magna.* Clamare autem non poterant, nisi viverent: nec non quae Apostolus hac super re in suis epistolis congessit ; ait enim Phil. 1. *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* Et 1. ad Cor. 15., ubi, tamquam errorem totius Religionis eversivum, horret, quod ii, *qui dormierunt in Christo, perierunt.* Nam *si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Et posterius referens illam insipientium vocem: *Manducemus, et bibamus, cras enim moriemur*, illico subdit: *Nolite seduci. Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Et 2. ad Cor. 5. *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.*

2.° Ex Conc. Lat. V. sub Leone X. sess. 8., ubi :

Sacro approbante Concilio damnamus , et reprobamus omnes asserentes , animam intellectivam mortalem esse. De quo etiam rationem reddens , *alias* (ait) *Incarnatio, et alia Christi mysteria minime profuissent, ac Sancti , et justi miserabiliores essent juxta Apostolum cunctis hominibus.*

3.° ex consensu PP. , quos superfluum est adducere ; immo et omnium nationum ab ipsis Senecae, et Tullii temporibus , ita enim ille ep. 118. *Cum de animorum immortalitate disserimus , non leve apud nos habet pondus consensus hominum , aut timentium aethera , aut colentium.* Ita vero Tullius l. 2. qu. Tusc. c. 16. *Permanere animos arbitramur consensu nationum omnium.* Et l. 1. c. 13. disserens de immortalitate animorum , *nescio* (ait), *quomodo inhaeret in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futurorum ; idque in maximis ingeniis , altissimisque animis et existit maxime , et apparet facillime ; quo quidem dempto , quis tam esset amens , qui semper in laboribus , in periculis viveret ? Omnium autem consensus naturae vox est ; dumque omnes , qui ubique sunt, consentiunt, esse aliquid , nobis quoque idem existimandum est.*

4.° multiplici ratione. Et 1.° si anima naturaliter superstes esse debet corpori tum in existendo , tum in cogitando , naturaliter quoque dicenda est immortalis. Diximus *tum in existendo , tum in cogitando* ; ad rationem namque immortalitatis requiritur , quod a corpore separata tum existentiam perpetuo continuet , tum in statu perceptionum distinctarum perseveret , ac sui conscientiam , nec non praeteritorum memoriam retineat , eaque ad se pertinere agnoscat , quia, hoc sublato , ita ut existeret quidem , sed esset in statu quodam somni , aut soporis , quaenam haec immortalitas dici mereretur , et cujusnam ipsa usus , et utilitatis foret ? Naturaliter autem anima humana superstes esset debet corpori tum in existendo , tum in cogitando : *In existendo* , quia , utpote spiritualis , ideoque partium expers , et indissolubilis in partes esse debet , et nonnisi ex integro perire potest, quin ulla scilicet ejus pars supersit. Porro , ut indissolubilis in partes , quum corpus interit , ipsa debet ejus superesse interitui. Quia vero nonnisi ex integro perire potest, quin ulla scilicet ejus pars supersit , nequit, nisi per annihilationem, perire. Haec autem cum sit cessatio conservationis,

atque haec continuata quaedam creatio, ad eam proinde, prout ad creationem, nulla vis finita sufficit ex ostensis tract. 1. cap. 1. prop. 2. pag. 8., sed infinita requiritur, quod unius, ac solius Dei est: Et hujus igitur, seu unius, ac solius Dei esset, quod, quum corpus interit, ipsa non superesset corpori, ideoque naturaliter ipsi superstes in existendo esse debet. Sed et *in cogitando*, quia vis cogitandi interna ipsi est, nec ullatenus a corpore pendens, nisi in praesenti statu, manente scilicet unionis nexu inter eam, et corpus; quemadmodum prop. ant. resp. ad 4. diserte explicavimus. Immo in praesenti etiam statu unionis cum corpore difficile non est, ut advertit D. Aug. cum Tertull. l. 1. de Anima, ipsius independentiam a corpore in cogitando agnoscere: *In somnis enim* (ut ait S. Doctor) *tibi velut corporeus apparebis, nec id corpus tuum, sed anima tua. Jacebit corpus, ambulabit ipsa; silebit lingua, loquetur illa; clausi erunt oculi tui, videbit illa.* Qua super re ita quoque Buffon in hist. nat. p. 24. T. 33. *Se si fa attenzione, che l' anima nostra sovente nel sonno, e nell' assenza degli oggetti è affetta da sensazioni, e che le medesime sensazioni sono talvolta differentissime da quelle da lei provate dalla presenza de' medesimi oggetti nel far uso dei sensi, non verrassi a giudicare, che tal presenza degli oggetti non sia necessaria alla esistenza delle dette sensazioni, e che in conseguenza l' anima nostra, e noi possiam sussister soli, e indipendentemente dagli oggetti indicati?* Quibus perpensis, patet, quod naturaliter tum in existendo, tum in cogitando debet anima humana superesse corpori, quodque ideo naturaliter immortalis dicenda est.

2.° Nedum dictu nefas, verum etiam a ratione omnino alienum est, ut suo loco, ubi de Dei Providentia ostendimus, et quod in Deo non sit Providentia, et quod haec iniqua sit dispensatrix. Si autem anima humana esset mortalis, vel in Deo non esset Providentia, vel haec iniqua esset dispensatrix; cum enim in hac vita probi saepe affligantur, et e contrario impii prosperentur, si non esset post hanc alia vita, in qua impii poenam, et justi praemium reciperent, quaenam esset isthaec Dei Providentia, quae in probitatem poenis animadverteret, impietatem vero praemiis assequeretur? Hinc D. Chrysost. hom. 4. de Prov. *Qui animum ajunt esse mortalem, hi*

negent necesse est, Deum humanarum rerum esse et procuratorem, et judicem. Si enim justi migrant affecti injuriis, impii rerum omnium abundantia potiti, nec post mortem aut merces, aut supplicium est, nulla certe est in coelo pietas, quae talia curet; nulla justitia, quae vel malos puniat, vel tribuat praemia bonis. Providentiam itaque Deo negant, atque adeo Divinitatem, quae sine Providentia intelligi non potest . . Omni namque ratione concluditur, ut si nullo praemio afficit eos, qui inquirunt illum, ne Deus quidem ullo modo sit, nisi Deum aut caecum, aut imbecillum, aut iniquum habeamus: caecum, qui suos non videat; imbecillum, qui dare praemia non possit; iniquum, qui nolit. Qui igitur negat alterum; is utrumque tollat, necesse est: et si non habet remuneratorem inquirentium se, ne Deum quidem habeat, oportet. Qua super re praestabit quoque, infensissimum licet Religionis hostem, Rousseavium audire in Esp. max., et princ. l. 1. art. de la Spiritualitè de l'Ame: *Quando non avrei altre prove dell' immortalità dell' anima, che il trionfo del malvagio, e l'oppressione del giusto, questo solo m' impedirebbe di dubitarne. Una dissonanza cotanto spiacevole nell' universale armonia me ne farebbe cercare la risoluzione. Direi a me stesso: Tutto non finisce con noi insiem colla vita; tutto rientra nell' ordine dopo la morte.*

3.° Si anima simul cum corpore interiret, nedum nullum discrimen foret inter eum, qui pro virtute; aut patria mortem fortiter oppeteret, et illum, qui suorum flagitiorum causa morti damnatus esset, verum etiam damnandi essent, qui tuendae Patriae, vel ipsius Dei causa mortem oppetierunt, cum enim post hanc vitam nihil ipsis sperandum fuisset, maximum malum, idest mortem, praetulissent maximo bono, idest vitae. Cumque item, si nihil post hanc vitam superesset, ultimus hominis finis non esset, nisi praesentis vitae bonum, quidquid proinde ad illud conduceret, tametsi impium, sordidum, crudele, bonum quoque, utpote consentaneum ultimo hominis fini, dicendum esset; quidquid vero ab eo abduceret, tametsi honestum, pium, ac societati favens, malum, utpote repugnans ultimo hominis fini, esset dicendum. Tam 1.m autem, quam 2.m ambo sunt evidenter absurda; postremum vero virtutem in vitium, ac vitium in virtutem converteret, quod eviden-

tem aeque absurditatem sonat; qua super re nemo disertius, quam Illustrissimus Della Torre olim Episcopus Stabiensis in Relig. Christ. Apol.: *Se l'uomo interamente perisse morendo, se non vi fosse alcuna speranza, che la parte migliore dell' uomo sopravvivesse al corpo incenerito, e le fosse serbata un' altra vita, ove avesse a godere un premio, o soffrire una pena, le idee di vizio, e di virtù sarebbero vane, e false. Anzi arditamente asserisco, che il vizio stesso, e le scelleratezze più gravi si cangerebbero bene spesso in virtù, e le virtù più difficili in vizj. Tutte le umane virtù si ridurrebbero all' ippocrisia; anzi basterebbe l' esser cauto, e sottrarsi al rigor delle leggi, per meritare la lode di uom virtuoso. E in vero se l' uomo interamente perisse colla morte, qual sarebbe il fine, che il Creatore istesso avrebbe impresso nel cuore umano? Altro per verità non sarebbe, che procurarsi in questa vita la somma maggiore de' beni, e soffrire il minimo possibile de' mali. Ma chi vuole il fine, vuole anche i mezzi necessarj a conseguirlo: Dunque il Creatore dell' Universo vorrebbe, ed approverebbe tutt' i mezzi necessarj a conseguire un tal fine; e per l' opposto Egli biasimerebbe, e dannerebbe tutti gli altri, che a conseguire un tal fine si oppongono. Posti questi principj, una Madrigna, la quale può far morire impunemente il figliastro, per arricchire il suo figliuolo, e se stessa, procurando ad amendue una maggior copia di beni, opererà conformemente al fine imposto all' uomo dal Creatore, e sarà perciò degna di lode. Un figlio, che non può sfogare la sua passione, che morde rabbioso il freno della paterna autorità, che brama di goder presto delle paterne ricchezze, purchè possa farlo impunemente, potrà disfarsi con un veleno del vecchio suo Padre; e tale azione, come conforme al detto fine, sarà degna di lode. Degna di alta commendazione sarà quella moglie, che seppe così scaltramente avvelenare il marito che non se n' ebbe neppure il sentore. Ella mischiò destramente il veleno nel piattello dei fonghi, de' quali mangiavano ella stessa, il marito, e 'l suo drudo. Poco dopo la donna, e 'l drudo finsero sentire acerbi dolori, e colle contorsioni, e coi gemiti davano a credere di essersi avvelenati. Fu cercato ben presto il Medico; ed in questo frattempo anche il marito si sentì*

tormentato da veri dolori. Il Medico non giunse così tosto; e credendo tutti e tre avvelenati, poichè avevan mangiati gli stessi funghi, diede loro quegli ajuti, che l' arte medica suggerisce. La donna, e 'l drudo, che niun veleno avevan preso, si guariron prestamente dai finti loro malori. Il meschino marito morì: e tosto la voce si sparse, che tre persone avevan mangiato de' funghi avvelenati; e che i due più giovani si eran salvati per gli ajuti somministrati loro dal Medico, e 'l vecchio n' era perito. Scorso qualche tempo, la scellerata donna tolse in marito il suo drudo, e con lui lietamente si visse. Or questa nera azione detestata da ogni uomo, che abbia senso di umanità, sarebbe degna di lode, se l' uomo interamente perisse; perciocchè non potendo la donna altrimenti disfarsi del suo vecchio marito, e fastidio, nè sposare per conseguente il giovine, ch' ella amava, operò conformemente al fine della natura, e seppe con somma astuzia sfuggire il rigor delle leggi, e conseguire un tal fine. D' altra parte le maggiori virtù tanto lodate in tutte l' età, sarebbero da riputarsi irragionevoli, viziose, e degne di biasimo. Focione, che ricusò i doni del Re Filippo, sarebbe affatto indegno di quelle lodi, che gli danno gli Storici. Regolo, il quale, anzichè violare il suo giuramento, volle andare incontro a morte crudele, degno sarebbe di biasimo. Gli Ateniesi, i quali al sentir da Aristide, che il consiglio di Temistocle era utile, ma non era onesto, il rigettarono con isdegno, meriterebbero di esser derisi. Gli Eroi del Cristianesimo, i quali, anzichè rendere ai falsi Dei del Paganesimo, l' onore a Dio solo dovuto, diedero la vita, sarebbero stati insensati. Quibus perpensis, nemo non videt magis, magisque, quod, sublata animae humanae immortalitate, virtus in vitium, atque hoc in illam converteretur: quod cum evidenter sit absurdum, aliam illi vitam superesse, postquam fuerit corpore per mortem soluta, evidenter sequitur.

4.° Animorum immortalitatis dogma fovendis virtutibus, vitiisque, ac sceleribus arcendis, ideoque etiam societatis paci, et conservationi necessarium esse, nemo id vocare in dubium poterit, qui consideret, quod nullum esset scelus adeo enorme, quod ab infirmioribus clam, et a potentioribus aperte non admitteretur, nisi

in altera vita timeretur supremus, et omnia perspiciens vindex. Si autem immortalitatis animorum dogma esset falsum, nonne dicendum esset, quod error universalis fovendis virtutibus, arcendisque vitiis, ac sceleribus ita esset necessarius, ut non aliter posset consistere societas; quodque homo, tametsi ratione, quae erroris inimica est, instructus, per errorem esset gubernandus? Vel ergo haec asserere, necesse est; quae tamen nemo, quam absurda sint, non videt: vel dogma immortalitatis animorum in dubium vocari non posse, est dicendum. Utque lumen lumini addamus, probatione certe non eget, quod Deus non deficit in necessariis ad vitam recte, et juste instituendam. Vitam autem recte, et juste instituere homo nequit, nisi, et Deum esse, sentiat, et animos esse immortales; qui enim vel sine Deo fuere, vel animum putarunt cum corpore interire, eos perditissimis moribus fuisse, memoriae proditum est; utque habetur Sap. 2., cum dixissent: *Post haec erimus, tamquam si non fuerimus*, subdiderunt illico: *Non sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Qua super re apposite etiam D. Aug. l. 6. Conf. cap. ult. *Nisi credidissem, restare post mortem animae vitam, et tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit, Epicurus palmam in animo meo accepisset*: Nedum ergo esse Deum, sed et animos esse immortales, dicendum est.

Prob. 2. pars. Et 1.° ex Conc. Lat. V. sub Leone X., ubi definitum fuit sess. 8., haereticum esse dicere, quod ex principiis Philosophiae sequitur, animam esse mortalem. Si autem non esset naturaliter, sed ex dono gratuito immortalis, deberet profecto adesse causa quaedam naturalis, quae illi mortem inferret; quare eam mortalem esse, utique ex Philosophiae principiis sequeretur, vel saltem sequi posset: Non igitur ex dono gratuito, sed naturaliter immortalis. Nec id tantum laud. Conc. definiit, sed addidit, quod *cum nonnulli ausi sint dicere de natura animae rationalis, quod mortalis sit, et aliqui temere philosophantes secundum Philosophiam saltem verum esse, asseverent, damnamus omnes asserentes, animam rationalem mortalem esse, cum illa non solum per se, et essentialiter humani corporis forma sit, verum etiam immortalis.* Idem autem dictu est, quod per se, et essentialiter sit immortalis, quam quod talis sit naturaliter, non ex dono gratuito: Rur-

sum ergo non ex dono gratuito, sed naturaliter immortalis.

2.° Ex veteribus Philosophis, qui eam immortalem esse, docuerunt; ex quibus sufficiat Tullius l. de Senect. c. 21. *Sic mihi persuasi, sic sentio. Cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque providentia; tot artes, tantae scientiae, tot inventa: non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem.* Habetur quoque ibidem c. 22. Cyri morientis ad filios allocutio: *Nolite arbitrari, o filii, me, cum a vobis discessero, nusquam, aut nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis; sed eum esse in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eumdem igitur esse, creditote, etiamsi nullum videbitis. Nec enim clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quod diutius memoriam sui teneremus. Mihi quidem numquam persuadere potui, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere; cum exissent ex iis, emori: nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset; sed cum omni admixtione corporis liberatus, purus, et integer esse coepisset, tum esse sapientem.* Illos autem ratione duce id cognovisse, nemo negare potest; quod certe iis, ratione duce, impervium fuisset, si ex dono gratuito, non vero naturaliter esset immortalis: Naturaliter ergo, non ex dono gratuito immortalis.

3.° Ex ratione, quam affert Tullius in QQ. Tusc. l. 29., quod nempe *in animi cognitione dubitare non possumus; nisi plane in physicis plumbei simus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec distrahi potest: Nec interire igitur*; ideoque ex ipsa ejus naturae conditione, non ex dono gratuito. Ex ipsa scilicet ejus naturae conditione est, ut supra ostendimus, quod, pereunte corpore, animus superstes illi esse debet tum in existendo, tum in cogitando. Quid proinde clarius, quam quod ex ipsa quoque ejus naturae conditione, non ex dono gratuito est immortalis?

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Tametsi anima sit ex natura sua immortalis, potest tamen Deus illam annihilare. Ut autem absolute diceretur immortalis, necesse esset, ut neque etiam a Deo annihilari posset: Non ergo absolute, neque idcirco naturaliter immortalis.

R. neg. min.; ex eo enim, quod a Deo annihilari posset, solum sequitur, quod non est immortalis vi essentiae, ita nempe ut in se et existentiae, et vitae rationem sufficientem contineat, quod solius Dei est, quare de eo ait Ap. 1. Tim. c. 1. *Qui solus habet immortalitatem*: non tamen, quod absolute immortalis dici nequeat; ex ostensis enim naturaliter superstes corpori esse debet tum in existendo, tum in cogitando, per quod ejus vita constituitur; aliunde vero, quod numquam a Deo annihilabitur, evidenter probant 1.° allata Scripturarum testimonia. 2.° argumenta ex rationis penu deprompta, ac secundo, tertio, et quarto loco producta; si enim eam post mortem corporis Deus servat, nulla suppetit ratio, ob quam subinde illam destruere dicatur. 3.°, quia, ut argumentatur Genuensis El. Met. p. 3. pr. 14. n. 18., *quamquam Divinam hominės sapientiam, et voluntatem plene, et adaequate nullo pacto comprehendere possint, sunt tamen plurima, quae naturae res spectant; in quibus liquido rationes, ac voluntatem Dei intelligimus. Ad id nos genus referre hoc possumus, de quo disputamus, mentem humanam esse tum a natura sua, tum ex Divina voluntate, non indestructibilem modo, sed immortalem quoque. Quid enim attinuisset et simplicem illam creare, et essentialiter intelligentem, ac viventem, et aeterni cupidam, atque sempiternum spectantem, ubi tota ejus existentia non brevi solum hujus saeculi ambitu, sed plerumque unius mensis, nec nonnumquam etiam unius diei contineatur? Si artifices inter homines machinarum naturam, quas construunt, ei tempori aptare solent, cui destinant, quare ex iis intelligere facile possumus, perpetuone, ut essent, voluerint auctores sui, an menstruae, annuae, saeculares: si nemo ignorat, aeternitati Ægyptios pyramides suas aedificare voluisse, qui tantas moles molibus accumularunt: cur non idem ego ex Dei operibus conjiciam? Praesertim cui nec efficiendi scien-*

tia, *nec potentia deest*, *cuique res subjectae*, *non*, *ut homini*, *resistunt*, *sed parent*? Ita praeclare laudatus Genuensis. Cui accedit, quod eam perpetuo servare velle, conjicitur quoque tum ex libertate ei collata, ob quam per actus honestos, vel inhonestos capax est praemium, vel poenam aeternam promerendi; tum ex naturali illa animi comparatione, qua et appetit veram beatitudinem, quae aeterna esse debet, *nam* (ut disserit Tullius de fin. l. 1. c. 7.) *si amitti vita beata potest*, *beata esse non potest*, et timet ob male facta, tametsi occulta, condignam poenam, ideoque eam non ab hominibus, quos haec facta latent, sed a Supremo quodam, nec oculis conspicuo Judice; ac quae condigna non est ex ostensis tract. 2. c. 7. prop. 3., nisi aeterna sit. Quis autem dixerit, Deum mentem nostram ita comparatam condidisse, ut necessario de suis ipsa actionibus sententiam numquam executioni dandam ferat?

Objic. 2.° Quod a corpore dependet in operari, ab eo etiam pendere in esse, dicendum est. Sed anima humana dependet in operari a corpore; experientia enim novimus, quod interceptis spirituum animalium meatibus, ut fit in syncope, et apoplexia, repente homo omni rationis usu destituitur; ejusque cogitationes omnino prorsus, destructo corpore, perire, ipse Regius Psaltes testatur Ps. 14., *in illa die* (inquiens, idest mortis) *peribunt omnes cogitationes eorum*. Cui et concinit Eccl. 9. illis verbis: *Mortui nihil noverunt*. Ab eo igitur dependet quoque in esse; quo proinde pereunte, et ipsa perit.

R. dist. min.; quod nempe dependet in operari a corpore, non quidem absolute, vel prout organo, per quod immediate intelligat, sed tantum, dum est in corpore, prout ministrante, et deferente species; quia nempe, dum est in corpore, ut diximus etiam in prop. ant. resp. ad 4., nequit immediate se convertere ad corporalia, sed eget sensuum ministerio, per quos ipsi praesentia reddantur. Ad textus vero allatos respondetur, quod post hanc vitam cogitationes omnes, seu sollecitudines de rebus, ac negotiis temporalibus propriis evanescent; quodque mortui nihil cognoscunt de his, quae circa nos contingunt, nisi visione Dei intuitiva ad hoc adjuventur, ut diximus l. 2. tract. 10. c. 3. prop. 3. pag. 133.

Objic. 3.º Animus cum corpore oritur, crescit, senescit: Et cum eo igitur interit.

Ergo dissolvi quoque convenit omnem animai
Naturam, ceu fumus in altas aetheris auras,
Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus
Crescere, et (ut docui) simul aevo fessa fatiscit.

Ita olim Lucretius l. 3., cumque eo omnis Incredulorum grex.

R. neg. cons., oritur namque animus cum corpore: dum tamen animus oritur per creationem, utpote ens simplex, quod nonnisi per creationem oriri potest, nequit enim oriri, ut consideranti fit perspicuum vel partium aut accessione, aut recessione, aut distractione, vel transformatione alterius entis in ipsum; dum, inquam, animus, utpote ens simplex, oritur per creationem, nec proinde potest perire, nisi per annihilationem, ad quod vires omnes entium creatorum nequeunt pertingere; non ita corpus, quod, utpote ens compositum, oritur per generationem, quodque idcirco per dissolutionem partium, ad quam utique vires creatae sufficiunt, potest quoque interire. Crescit vero, ac senescit cum corpore, quatenus in praesenti cum eo unionis statu, ejus, ut rursus repetere opus est, potentia proxima, et completa ad agendum constituitur per rectam corporis, organorum, ac praesertim sensorii communis constitutionem; ex quo sequitur, quod pro perfectione, aut imperfectione eorumdem, perfectius quoque, aut imperfectius agere ipse debeat. Cum tamen haec unio fundamentum non habeat in ipsa animi natura, sed sit quid extrinsecum, et a sola Dei voluntate pendens; quis non videt, quod, ea sublata, nedum animus nec desinere, nec usum suarum facultatum amittere debeat, immo potius in statum transire Deo, ac supernis Spiritibus similiorem, ac facultates suas expeditius, et perfectius exercendi?

Objic. 4.º Naturae sensu omnes mortem horrere, nemo est, qui negare id possit. Quod si ea non esset, nisi transitus a mortali ad immortalem vitam, concupiscere illam potius, quam horrere, homines deberent; idque magis ob tot, tantaque absque numero, quae in hac mortali vita et corpus, et animam affligunt: Ipso igitur

naturae sensu certum dicendum, quod nulla, hac vita exacta, alia nobis superest.

Quod si immortalis nostra foret mens,
Non jam se moriens dissolvi conquereretur,
Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis.
Ita idem Lucretius l. cit.

R. neg. sequ. min.; mortem namque ipso naturae sensu horremus, tum quia humanum genus, horrore mortis sublato, non posset subsistere; tum quia bona hujus vitae tenemus, iisque actu afficimur, futura vero et nonnisi fide attingimus, et longe a nobis sunt posita, et dumtaxat speramus; tum maxime, quia incerti sumus de conditione alterius vitae, felixne scilicet futura sit nobis, an infelix. Hinc omnes, quos morum integritas, et sanctitas fere securos reddidit de futura vitae beatitate, nedum mortem non horruisse, verum etiam alacri animo illam et expectasse, et oppetiisse, novimus, tamquam verae vitae initium, laborum finem, omniumque eorum desideriorum consecutionem.

CAPUT V.

De integritate, justitia originali, aliisque privilegiis, quibus homo in statu innocentiae ditatus fuit: gratia illi ad bene agendum, et perseverandum necessaria: nec non justitia praecepti illi a Deo impositi: gravitate peccati, quo se reos primi parentes fecere, illud transgrediendo: cunctorumque donorum, ac privilegiorum amissione ob illius transgressionem.

Paucis absolvere sufficiat, quomodo primus homo conditus fuerit quoad corpus: quod nempe conditus fuerit jam adultus, ut constat ex Genesi, eratque congruum, quia nunc infanti adhaeret genitrix illum excipiens, bajulans, nutriens, et infimae ejus aetatis curam gerens; qua Adam caruit. Conditum quoque fuisse, non quidem staturam giganteam habentem, ut quidam Rabbini somniarunt, sed nec pygmaeum, nec gigantem, ex eo suadetur, quod tam eximium Dei opus aptam ha-

buisse, dicendum est, extensionem membrorum : ex quo etiam verisimile redditur, quod ejus statura fuerit nostra procerior, quemadmodum eruditissimus Mazochius *Spicil. t. 1. D. 3. p. 2.* de omnibus etiam, qui vixerunt ante Diluvium, ostendit.

Somnium quoque est, et improba vanitas, ut a Bertio appellatur, Eugubini sententia, quod corpus primorum parentum fuerit androgynum, idest viri simul, et feminae ad latus haerentium, quia (ait Eugubinus) nisi Heva simul cum Ada fuisset producta, verum non esset illud Gen. 1., quod Deus *masculum, et feminam creavit eos.* At nihil insulsius; quod enim de iis contracta narratione taliter dicatur, patet ex cap. sequenti, ubi dicitur de Adam, quod *non inveniebatur adjutor similis ejus.* Hinc quoque Apostolus 1. ad Tim. c. 2., *Adam* (inquit) *primus formatus est, deinde Heva.* Cui accedit, quod in Eugubini sententia tam Adam, quam Heva plasmati fuissent de limo terrae; cum tamen relato Gen. loco Adam tantum dicatur de limo terrae formatus, Heva autem aedificata ex una de ejus costis. Et ab eodem 1. ad Cor. c. 11. dicitur vir *caput mulieris*, quia non vir ex muliere, sed mulier est ex viro. Haec de statu, quo primus homo conditus fuit quoad corpus.

Non paucis tamen agendum erit de statu, quo conditus fuit quoad animam : quam 1.º conditam fuisse cum libertatis arbitrio, quo caeterum etiamnum fruitur, licet viribus plurimum debilitato quoad bonum, ostendimus in tract. De Actib. hum. cap. 1., ubi id, ne actum agamus, consulatur. 2.º habuisse quidem gratiam sanctificantem ante suum lapsum, fides catholica docet contra Pelagianos; controvertitur tamen, an illam acceperit in instanti suae creationis simul cum natura, vel ea postea donatus fuerit? Hoc quidem docet D. Bonav., et Scotus; sed prior sententia hodie est communis, ut ex sequentibus merito talem esse, patebit; uti etiam patebit, quibus item donis, ac privilegiis praeter gratiam sanctificantem fuerit ornatus. Sit proinde

Prop. I. Conditus primus homo fuit in naturalibus integer, et perfectus; nec non cum gratia sanctificante, cumque aliis virtutum habitibus eam comitantibus. Locuples item donis, quae originalis justitia complectebatur, cumque aliis quoque superadditis privilegiis. Quae omnia,

si permansisset in statu innocentiae, in ejus quoque posteros transmisisset.

Prob. I. pars ex eo quod *Dei perfecta sunt opera*; ut dicitur Deut. 32., ipsaque naturalis ratio suadet; ex quo sequitur, quod ea, quae Deus proxime, et immediate producit, omnia habent, quae perfectioni naturae sunt debita. Fuit autem primus homo immediatum Dei opus: Omnia ergo habuisse, dicendum est, quae perfectioni ejus naturae debebantur; ac ita perfectum e Creatoris manibus prodiisse, ut nedum quoad corpus omnia absque defectu corporis munia obire posset, aptamque haberet, ut diximus, extensionem membrorum, sed, et quoad animam, ut omnia naturaliter cognoscibilia cognosceret; quare dicitur Eccli. 17. de Ada, et Heva, quod Deus *cor dedit illis excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus* (idest, ut explicat Cornelius Alapide, *creando eis indidit*), *sensu implevit cor illorum, et mala, et bona ostendit illis.*

Objicitur quidem contra hoc, credidisse Adam, Serpentem, qui Hevam decepit, esse locutum; ac per comestionem fructus vetiti se adepturum scientiam boni, et mali: Non igitur perfectus scientia conditus fuit.

Respondetur tamen neg. cons.; dicimus enim 1.° Adam, ut scripsimus cap. 1. pag. 5., et Divinae omniscientiae ambitione, et Mulieris amore captum oculos luci clausisse, et cecidisse: ac 2.° ducibus D. Augustino, et D. Thoma, fuisse ejus casum occulti peccati, quod praecesserat, poenam, quippe quod antequam Heva seducta esset a serpente, et Adam Hevae peccato communicaret, uterque jam interius peccaverat, et innocentiam amiserat, ita enim de Heva advertit D. Th. qu. 94. a. 4. ad 1.: *Illa seductio mulieris, etsi praecesserit peccatum operis, subsecuta tamen est peccatum internae elationis.* De Ada vero ita D. Aug. l. 11. De Gen. ad lit. c. 5.: *Nec arbitrandum est* (inquit), *quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi praecessisset in anima hominis quaedam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quam de se falso praesumpserit, disceret.* Et c. 42., quod eum *propter aliquam mentis elationem, quae Deum internorum scrutatorem latere non poterat, sollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem videret, accepta illa esca, non esse mortuam.* Et l. 14. De Civ. Dei

c. 13. addit de Ada, et Heva: *In occulto mali esse coeperant, ut in apertam inobedientiam laberentur, non enim ad malum opus perveniretur, nisi praecessisset mala voluntas.*

Probatur 2.ª pars. Et 1.º ex Script; dicitur enim Eccl. 7. *Fecit Deus hominem rectum*, idest bonum, ut exponunt D. Hier. in hunc locum, nec non D. Aug. ser. 96., ea bonitate, a qua decidit per peccatum. Per hoc autem decidit a bonitate supernaturali, quae est per gratiam: In hac ergo conditum fuisse, consequens est. Ad quod etiam refertur ex Scripturis illud Apostoli ad Eph. 4. *Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia; et sanctitate veritatis*; idest, ut explicat D. Aug. l. 6. de Gen. ad litt. c.° 27., quam in sui creatione acceptam amisit Adam peccando. Cui accedit, quod is, qui renovatur, ad primam conditionem regreditur. Quod cum ita sit, quid clarius, quam quod prior hominis conditio fuerit in sanctitate, et justitia?

2.º Ex Trid. sess. 5. can. 5., ubi anathema dicitur ei, *qui non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim justitiam, et sanctitatem, in qua constitutus fuerat, amisisse.* Scribit autem Iueninus tom. 3. Inst. diss. 3. qu. 1., quod Sacrae Synodi jussu deleta fuit vox *conditus*, quam illius Canonis editores primum inseruerant; ex quo sequitur, quod abstinere quidem se voluit Synodus a definienda quaestione inter Catholicos disputata, an homo fuerit creatus in gratia, haec tamen fuerat fere omnium Patrum sententia.

3.º Ex D. Aug., qui ep. 106. haec addit: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia poterit reparare, quod perdidit?* Quaenam autem integritas, et salus, in qua natura humana non permansit, et quam non custodivit, nisi gratia sanctificans? Haec ergo fuit, quam in ipsa sui conditione accepit.

4.º Ratione; Deus enim in aliarum rerum conditione dedit eis virtutem pertingendi ad fines, ob quos illas fecit; ut arboribus ad ferendos fructus, etc. Por-

ro hominem condidit praecipue ob supernaturalem beatitudinem, tamquam finem illi praestitutum: Eum ergo condidit cum virtute, qua posset ad illam per media conari, et tandem pertingere; ex quo sequitur, quod cum gratia sanctificante, quae est quasi gloriae semen, et dat jus ad beatitudinem, et est principium bonorum operum, quibus ad eam pervenitur, illum condidit. Accedit, quod, nisi dicamus, gratiam sanctificantem Adae in primo instanti collatam fuisse, divinando tantum poterimus tempus statuere, quo illam accepit. Quod cum ita sit, satius profecto erit, certum assignare tempus, quo illam acceperit; nec ullum aliud congruentius videtur, quam primum creationis suae instans: In hoc ipso igitur illam accepisse, dicendum est.

Objicitur quidem illud Ap. ad Cor. ep. 1. c. 15. *Factus est primus homo in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Nec non D. Aug. in l. qu. novi, et vet. Test. qu. 123. ubi eos refellit, qui putant, primum hominem Spiritum Sanctum in sua conditione accepisse. Ad 1.m tamen respondetur, Apostolum loqui, ut ex contextu patet; de resurrectione mortuorum, in qua illud idem corpus prius factum in animam viventem, idest in corpus animale, vita praeditum, sed natura mortale, novissime erit, tamquam spiritale, quia, licet corruptibile, induet incorruptionem, et, licet mortale, induet immortalitatem. Ac ita etiam in hunc Ap. locum D. Aug. l. 13. De Civ. Dei c. 23. Ad alterum vero, librum Quaestionum Novi, ac Veteris Testa non esse Augustini, ut Bellarminus, Natalis Alex., PP. Maurini, ac Eruditi omnes ex eo probant, quod qu. 2. scribitur, Mundum a Deo fuisse creatum ob Diaboli praesumptionem; qu. 21. feminam non esse ad imaginem Dei; qu. 109. Melchisedech esse Spiritum Sanctum: quae, aliaque plura, notis, severisque castigationibus digna esse, nemo non videt.

Caeterum, quod primus homo conditus fuerit cum gratia sanctificante, est quidem Theologice certum, sed dici nequit de fide declarata, et definita; ut enim disserit Estius in 2. dist. 25., *cum Patres Tridentini ita circumspecte locuti fuerint, ut constitutum dicerent, non creatum, aut conditum, studio voluerunt abstinere a definienda quaestione inter Catholicos disputata, an homo fuerit creatus in gratia*; quia nempe, ut ad-

dit Card. Pallavicinus l. 7. Hist. Conc. Trid. c. 10., *Synodus collecta non fuerat ad decidendas opiniones, sed ad errores recidendos*; primum hominem autem absque gratia habituali fuisse conditum, non pauci ex Scholasticis scripserant.

Prob. 3. pars, quod nempe primus homo conditus fuit nedum cum gratia sanctificante, verum etiam cum eam comitantibus virtutum habitibus. Quod probatur ex Trid. sess. 6. c. 7., ubi docet, nos in Baptismo accipere veram, et Christianam justitiam, et sanctitatem, quam Adam sua inobedientia sibi, et nobis perdidit. Initio autem ejusdem cap. ait, justitiam illam, et sanctitatem consistere in susceptione gratiae, et donorum: Si ergo eam sibi Adam perdidit, eamdem prius habuisse, consequens est. Hinc D. Jo. Damasc. l. 2. de fide c. 12. ait, quod *creavit Deus hominem innocentem, rectum, probum, omni virtutum genere exornatum*. Et D. Th. 2. 2. qu. 5. a. 1. docet, quod Adam in sui conditione habuit fidem, quae rerum supernaturalium cognitio est; dicente Ap. ad Heb. 11., quod *sine fide impossibile est placere Deo*. Nec obstat, pergit S. D., quod idem Ap. ad Rom. c. 1. ait: *Fides ex auditu*. Etenim in statu primae conditionis non erat auditus ab homine exterius loquente, sed a Deo interius inspirante, sicut et Prophetae audiebant, secundum illud Ps. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Novit proinde Adam in ipsa sui conditione Mysterium Incarnationis, ut idem S. D. colligit ex eo, quod ait: *Propter hoc relinquet homo Patrem, et Matrem, et adhaerebit uxori suae*; quod Ap. ad Eph. 7. dicit, *Sacramentum magnum esse in Christo, et in Ecclesia*; quod quidem Sacramentum, non est credibile, primum hominem ignorasse. Ac tantum subdit, quod, quia non fuit praescius peccati futuri, illud novit *secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriae, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per Passionem, et Resurrectionem Filii Dei*. Nec mirum, concludit, quia non est necesse, ut cui revelatur effectus, causa etiam proxima reveletur. Novit quoque Mysterium Trinitatis, tum quia inter omnia praecipuum; tum quia consentaneum non erat, primum hominem tot donis supernaturalibus cumulatum Trinitatis Mysterium nescire; tum quia in ipsius formatione indicatum illis

verbis: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*; tum quia cum ipsi revelatum fuerit Mysterium Incarnationis, explicite istud credi non poterat absque fide Trinitatis. Novit demum praemium supernaturale sibi, ac omnibus Deo sancte servientibus in Coelis repositum; nec nisi ad hunc finem seipsum, ac sua omnia referre debere.

Prob. 4. pars, quod nempe justitia originalis adaequata sumpta, praeter gratiam sanctificantem, alia etiam dona complectebatur. Quod enim adaequate sumpta non erat sola gratia habitualis, ex eo patet, quod nemo filiorum Adae in peccato conceptus, dum baptismo abluitur, et gratia sanctificante exornatur, primigeniae institutionis felicitatem assequitur. Assequeretur autem, si justitia originalis adaequate sumpta non fuisset, nisi sola gratia sanctificans: Praeter hanc igitur alia etiam dona complectebatur; pluriumque donorum, et habituum aggregationem, residentium partim in anima, partim in ejus potentiis, eam fuisse, consequens est. Diximus *adaequate sumpta*: inadaequate enim sumpta, pro ea scilicet perfectione, quae erat primaria, ac velut radix, et origo caeterarum, utique dici potest, quod justitia originalis ipsa erat gratia sanctificans; quae, licet ejusdem speciei cum ea, qua nunc justi gaudent, ex diverso tamen modo informandi ab eo, quem nunc habet, erat origo multarum perfectionum, quae modo ex ea non prodeunt. Quod probatur 1.° ex D. Aug. l. 13. De Civ. Dei, ubi, cum dixerit, quod, primi parentes, *gratia deserente Divina*, statim rebellionem carnis experti sunt, pergit: *Ex quo datur intelligi, quod si, deserente gratia, soluta est obedientia carnis ad animam, per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur.* 2.° ex D. Th. 1. p. qu. 95. a. 1., ubi ex quo gratia gratum faciens sit radix originalis justitiae, probat, quod in statu innocentiae homines, si nati fuissent in justitia originali, nati quoque fuissent in gratia. Haec autem illatio non valeret, si justitia originalis fuisset habitus a gratia sanctificante realiter distinctus, potuisset enim hoc ipso ab illa separari. Et l. 2. qu. 83. a. 2. ad 2. docet de justitia originali, quod *erat donum Divinitus datum humanae naturae primordialiter pertinens ad essentiam animae.* Sola autem gratia sanctificans residet in animae essentia, virtutes enim, habitus infusi, aliaque dona

sunt in ejus potentiis, ut docet idem S. D. I. 2. q. 110. a. 4. Mirum vero non est; quod eadem secundum speciem gratia ex diverso tamen modo informandi diversos praestabat effectus in homine innocente, quos non praestat in lapso; quemadmodum nempe eadem secundum speciem gratia est in Justo viatore, eritque in homine Beato post resurrectionem; et tamen in isto ab ea redundabunt dotes in corpus, quae modo in illo ex ea non redundant: utque etiam gratia cujusvis Sacramenti, quae Sacramentalis dicitur, diversos effectus praestat, quos non praestat gratia secundum se.

Praecipuum autem donorum, quae originalis justitia complectebatur, quibusque Adam fruebatur in statu innocentiae, illud erat, cujus beneficio appetitus sensitivus, tum concupiscibilis, tum irascibilis ita erat parti superiori animae, ac rationi subjectus, ut numquam, nisi ex illius praescripto, et imperio moveretur, nihilque saltem inordinatum posset, praeveniendo rationem, appetere. Quod enim in homine adhuc innocente appetitus rationi subjiceretur, patet 1.° ex relatis verbis Eccl. 7: *Deus fecit hominem rectum*, 2.° ex Trid. sess. 5. can. ult., ubi explicans verba Apostoli ad Rom. 7. concupiscentiam peccatum appellantis, ait, hanc concupiscentiam, idest appetitum sensitivum motibus suis inordinatis rationem praevenientem dici peccatum, *quia a peccato est, et ad peccatum inclinat*. Quod si a peccato est, quid clarius, quam quod ante peccatum non erat? 3.° ex D. Aug. l. 3. de pecc. orig. c. 35., ubi docet, in statu innocentiae motus sensualitatis fuisse obedientes *imperio tranquillissimae charitatis*. Quod vero ista appetitus subjectio non fuerit ex natura, sed ex dono gratiae, constat tum ex prop. damnata in Bajo a Pio V., et Greg. XIII., quae ajebat: *Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed debita ejus conditio*; tum etiam ex eo quod omnia naturalia, ut communiter docent TT., remanserunt in homine post peccatum, quia peccatum, quatenus peccatum est, nulli perfectioni pure naturali repugnat. Subjectio autem, de qua loquimur, amplius in homine non reperitur: Non ergo in primo homine erat naturalis, sed ex dono gratiae.

Prob. 5. pars, quod nempe primus homo aliis quoque privilegiis fuerit ditatus in statu innocentiae, quorum primum *immortalitas*; quod enim in illo statu im-

mortalis fuisset, de fide est; ajente Scriptura, quod *Deus mortem non fecit* (Sap. 1.); quod *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum; invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum* (Sap. 2.); quod *per unum hominem peccatum intravit in Mundum, et per peccatum mors* (Ad Rom. 5.); ubi certe mors corporis designatur, mors enim animae non intravit per peccatum, sed ipsum formaliter peccatum est. Ac demum in Trident. sess. 5. in Decr. De pecc. orig. dicitur anathema ei, qui non confitetur, *primum hominem Adam incurrisse per offensam praevaricationis mortem, quam illi comminatus fuerat Deus*; cum nempe illi dixerat: *In quacumque die comederis ex eo* (idest ex fructu vetito), *morte morieris* (*Gen.* 2.). Immortalis autem fuisset in illo statu, non ex natura, sed ex dono gratiae; fuit enim Apostolicae Sedis auctoritate proscriptum contrarium assertum Michaelis Baji: *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio*. Quod probatur et ex D. Aug. l. 6. de Gen. ad litt. c. 20., ubi expresse docet de primo homine, quod *mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Creatoris*. Et ex D Th. 1. p. qu. 76. a. 5 ad 1., ubi idem docet, inquiens, quod *corpus hominis ante peccatum immortale fuit, non per naturam, sed per gratiae Divinae donum, alioquin immortalitas ejus per peccatum sublata non esset, sicut nec immortalitas Daemonum*. Et demum ex eo, quod omne compositum ad sui dissolutionem tendit; ex quo sequitur, quod posse non mori erat supra naturalem humani corporis conditionem.

Secundum *indolentia*, vi cujus nec erat, nec fuisset in illo statu passibilis; subjectus scilicet passioni ipsum removenti a sua naturali dispositione vel quoad animam, vel quoad corpus; quia quidquid mali rationem habet, procul a felici illo statu erat, ac fuisset. Hujusmodi autem est quaevis passio removens vel animam, vel corpus a sua naturali dispositione, quae proinde e felici illo statu excludebatur. Passiones vero, quae non sunt hujus generis, utique in statu quoque innocentiae fuissent in homine. Quare in illo etiam statu cibis indiguisset; quemadmodum etiam colligitur ex facultate illi a Deo data, quod *de omni ligno Paradisi comederet*,

Et D. Aug. l. 14. de Civ. Dei c. 26. ait: *Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret.*

Hinc etiam in illo statu fuisset generatio per conjunctionem maris, et feminae; ut patet 1.° ex eo quod legitur c. 1. Geneseos: *Masculum, et feminam creavit eos, et dixit, crescite, et multiplicamini.* Ac si dicatur, homines cum sexuum diversitate creatos fuisse in eum finem, ut crescerent, et multiplicarentur; opusne enim fuisset sexuum distinctione, nisi ad commixtionem, utque hac via humanum genus propagaretur? Hinc ita quoque, Deum dixisse, legitur avibus, ac piscibus: ac rursum dixisse Noe, ejusque filiis post Diluvium. 2.° ex verbis c. 2. Genesis relatis; *Dixit Deus: Non est bonum hominem esse solum. Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Quid clarius, ut hoc in loco advertit D. Aug., quam quod mulier ideo potissimum instituta est, ut in propagatione filiorum virum juvaret? Ad quid aliud opus fuisset homini mulierem habere, cum sane in caeteris melius vir a viro, quam a femina juvari possit? 3.° ex eo quod ante peccatum inquit Adam: *Relinquet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Quae verba ad matrimonium, et maritalem conjunctionem pertinere, inquit Christus Matth. 19., nec non Apostolus ad Eph. 5. Hinc sententia D Gregorii Nysseni *l. de creat. hom.* c. 18., D. Joannis Chrysost. *hom.* 18. *in Gen.*, D. Joannis Damasc. *de fide orthod.* l. 2. *c.* 30., *et l.* 4. *c.* 25., cui etiam D. Hieron. *l cont. Iovinian.* non audet aperte repugnare, quod videlicet propagatio generis humani non fuisset futura per opus nuptiarum in statu innocentiae, merito refellitur, ac rejicitur a D. Thoma 1. p. qu. 98. art. 2., ac caeteris Theologis communiter: nisi dicere velimus, laudatos Patres excludere tantum voluisse illam coeundi rationem, quae praesentem statum comitatur, quaeque minus a ratione, quam a concupiscentia pendet, nec semper habet finem, et effectum suum ob rebellionem in membris, et in ipsa anima excitatam. Etenim post D. Augustinum advertit quoque D. Thomas loco cit., quod *deformitas immoderatae concupiscentiae in statu innocentiae non fuisset, quando inferiores vires omnino rationi subdebantur.*

Demum in statu quoque innocentiae nati fuissent homines in aetate infantili, nec in tali statu habuissent sufficientem

virtutem ad movendum membra ad quoslibet actus, sed tantum ad actus tali aetati convenientes, ut ad sugendum ubera, etc. Cui accedit, quod cum in illo quoque statu nati fuissent per carnalem generationem ex utero matris, hujus conditio non patiebatur, ut contineret, et emitteret hominem adultum. Nec e contrario facessit, quod nonnulla animalia statim, quum nascuntur, habent sufficientem virtutem ad usum membrorum; quare cum caeteris omnibus animantibus nobilior sit homo, multo magis illi naturale dicendum est, ut statim natus sufficientem quoque virtutem ad eorum usum habuisset, nec nisi in peccati poenam eam modo non habeat. Respondet enim laudatus S. Doctor qu. 99. a 1. ad 2., *ex nobili complexione hominis esse, quod defectum talem in pueritia prae quibusdam animalibus patitur. Quia enim est mollis complexionis, ideo membra puerilia ex sui mollitie sunt impotentia ad suos actus exercendos; et etiam propter humiditatem abundantem in pueritia, quod contingit in hominibus prae quibusdam animalibus.*

Tertium *perfectum in omnia animalia dominium*; ut nempe explicat D. Th. 1. p. qu. 96. a. 1., non solum quoad jus, et potestatem dominandi, sed etiam quoad exercitium, et usum, quia absque contradictione illi obedivissent, quemadmodum ejus pars inferior obedivisset rationi. Quod probatur 1.° ex illis verbis Gen. 2. *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, et praesit piscibus Maris, et volatilibus Coeli, et bestiis, universaeque Terrae, omnique reptili, quod movetur in Terra.* Et paullo post: *Dominamini piscibus maris, et volatilibus Coeli, et universis animantibus, quae moventur super Terram.* 2.° ex eo quod hominem dominari animantibus brutis sequebatur tum ex ordine naturae, ut l. cit. ait D. Th., quae imperfectiora in usum perfectiorum instituit; tum ex ordine Divinae Providentiae, quae semper inferiora per superiora gubernat. Hinc quia hic hominis dominatus in animalia erat naturalis, mansit quoque in homine post peccatum quoad jus, et potestatem, unde et post Diluvium homini dixit Deus; *Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia Terrae, etc.*; ac tantum quoad usum, et exercitium magna ex parte est diminutum.

Demum licet fuisset in statu quoque innocentiae aliqua inter homines inaequalitas nedum quoad sexum, et ae-

tatem, ut evidens est, sed et quoad animam, quia cum nemo egisset ex necessitate, sed per liberum arbitrium, unus magis, alter minus proficere potuisset in sanctitate, in prudentia, in sapientia, etc., et quoad corpus, ut enim scribit D. Th. 1. p. qu. 96. a. 3., *nihil prohibet dicere, quin secundum diversam dispositionem aeris, et diversum situm aliqui robustiores corpore generarentur, quam alii, et majores, et pulchriores, et melius complexionati*: licet quoque in illo statu aliqua fuisset inter homines subordinatio, quia ordo servari nequit in multitudine absque aliqua partium subordinatione; quare et Angeli beati in varios Ordines, variasque Hierarchias distribuuntur; cui accedit, quod homo naturaliter est caput mulieris, ac proinde ex naturae institutione debet eam regere: nemo tamen in illo statu dominium in alterum habuisset, nisi tantum quod in subditorum, vel communem utilitatem vergeret: *Duplex namque est subjectio* (ut pergit idem S. D. l. cit. a. 4.); *una servilis, secundum quam praesidens utitur subjecto ad sui ipsius utilitatem: et talis subjectio introducta est post peccatum. Est autem alia subjectio Oeconomica, et civilis, secundum quam praesidens utitur subjecto ad eorum utilitatem, et bonum: et ista subjectio fuisset etiam ante peccatum; defuisset enim bonum ordinis in humana multitudine, si quidam per alios sapientiores gubernati non fuissent.* Et sane fuisset profecto in statu innocentiae perfectissima inter homines societas, et ordo, sive ad invicem, sive ad commune bonum. Ad id autem opus erat, ut aliquis praeesset, et cuncta ad bonum commune disponeret: Et istud igitur in illo statu agnoscendum est. Cui accedit, quod conditio hominum in statu innocentiae non fuisset profecto dignior, quam Angelorum conditio. Hos inter autem alii sunt superiores, qui illuminant; alii inferiores, qui illuminantur: Ergo et inter homines in illo etiam statu fuisset quid simile.

Objicitur quidem 1.° quod Adae, et Hevae adhuc innocentibus potestas dumtaxat legitur data dominandi cunctis animantibus; ex quo sequitur, quod nulla in tali statu fuisset in alios homines potestas. 2.° quod solum post peccatum legitur dictum mulieri: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui* (Gen. 3.). 3.° quod scribit D. Aug. l. 19. De Civ. Dei c. 15. *Ratio-*

nalem factum ad imaginem suam noluit Deus, nisi irrationalibus dominari, non hominem homini.

Respondetur tamen ad 1.m, quod in statu innocentiae nulla fuisset in homine potestas proprietatis in alios homines, hujusmodi nempe, quae induceret servitutem, sicut etiam nulla potestas jurisdictionis dominativa, et coactiva, haec quippe locum non habet, ut ait D. Greg., nisi erga eos, quos Apostolus animales vocat 1. ad Cor. 2., cum enim propria ratione non regantur, cogendi sunt aliena: at utique in homine fuisset in illo etiam statu potestas in alios homines directiva, et ordinativa, quia sine hac nequit sive societas, sive ordo subsistere. Ad 2.m, illa Gen. verba non sic esse accipienda, quasi ante peccatum mulier nullatenus fuisset subjecta viro, sed quia non fuisset illi subjecta, sicut postea. Fuisset namque ante peccatum illi subjecta quoad gubernationem domesticam subjectione sociali, libera, et absque duritie: dum post peccatum etiam contra propriam voluntatem debet viro parere, et pati interdum onerosam, ac imperiosam viri potestatem. Ad 3.m denique, loqui D. Augustinum de dominio inducente servitutem, ut patet ex verbis immediate sequentibus: *Conditio quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura.*

Prob. 6. pars, quod nempe si primus homo permansisset in statu innocentiae, in ejus quoque posteros praefata omnia transmisisset. Quod probatur 1.º ex Trid. sess. 6. c. 6., a quo fide discimus, quod Adam per suam inobedientiam sibi, et nobis perdidit justitiam illam, quam a Deo acceperat. Et sess. 5. can. 2. anathema dicitur ei, qui asseruerit, Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem, et justitiam sibi soli, et non etiam nobis, eum perdidisse. Hanc autem nobis perdere non potuisset, nisi eam accepisset in nos transmittendam: In nos igitur transmittendam eam acceperat. Quemadmodum autem, si permansisset in statu innocentiae, originalem justitiam in nos transmisisset, ita, eoque magis in nos transmisisset caetera, quae vel originalem justitiam comitabantur, vel illi superaddita fuere; 1.º enim nulla subest ratio, cur in nos originalem justitiam transmisisset,

non vero caetera. 2.° quia cum oppositorum eadem sit ratio, hinc si Adae inobedientia fuit quoque totius naturae inobedientia, ac toti naturae originalem justitiam eripuit, ejus quoque obeditio fuisset quoque totius naturae obeditio, ac toti naturae originalem justitiam servasset. Fuit autem Adae inobedientia totius naturae inobedientia, ac toti naturae originalem justitiam eripuit: Ejus ergo obeditio fuisset quoque totius naturae obeditio, ac toti naturae originalem justitiam servasset. 3.° quia si originalis justitia fuit donum Adae collatum, non ratione personae, sed naturae, dicendum profecto, quod omnes, qui ex eo naturam traxissent, simul cum natura traxissent quoque originalem justitiam. Fuit autem originalis justitia donum Adae collatum, non ratione personae, sed naturae; non enim secus et sibi, et ejus propagini illam perdidisset: Omnes ergo, qui ex eo naturam traxissent, simul cum natura traxissent quoque originalem justitiam. 4.° demum quia generans naturaliter generat sibi simile in natura speciei, et in accidentibus, quae sequuntur naturam speciei. Originalis autem justitia, in qua primus homo conditus fuit, erat accidens naturae speciei, non jam quatenus ex principiis speciei causatum, quod nefas dictu, sed quatenus donum Divinitus datum toti naturae: Si Adam ergo innocentiae statum servasset, nedum generans similes ei in natura genuisset, verum etiam ei similes in originali justitia. Idem autem, quod dicitur de originali justitia, dicendum quoque esse de caeteris, quae vel illam comitabantur, vel illi superaddita fuere, jam supra advertimus.

Nec facessit e contrario, ut advertit D. Th. 1. p. qu. 100. a. 1. ad 2., quod justitia originalis non fuisset amplius gratuita, sed naturalis. Respondet enim S. D., quod *non fuisset propter hoc naturalis, quia non fuisset transfusa per virtutem seminis, sed fuisset collata homini statim quum habuisset animum rationalem, sicut etiam statim quum corpus est dispositum, infunditur a Deo anima rationalis; quae tamen non est ex traduce.*

Prop. II. Tam ad bene agendum, quam ad perseverandum eguit Adam in statu quoque innocentiae gratia actuali, qua et eguissent ejus posteri in eodem statu;

eaque fuit sola gratia intellectus. Prima, et secunda pars est communis, et certa; tertia nobis verisimilior.

Prob. 1. pars iisdem rationibus, quibus idem ostendimus de Angelis tract. 2., cap. 5., prop. 2. Quibus addimus quae habet D. Aug. in Enchir. c. 106., ubi ita scribit de primo homine: *Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiae retinendae sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium praeberetur.* Et l. De corr., et gr. c. 21. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat et adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet.* Et demum l. De Nat., et gr. c. 26. illud quoque probans exemplo oculi, *sicut* (inquit) *oculus etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeternae luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.*

Prob. 2. pars; ut enim ejus posteri gratia actuali non eguissent ad bene agendum, et perseverandum, debuissent, nedum nasci in gratia, sed et nasci in ea confirmati. Quamvis autem nati fuissent in gratia, si primi parentes ab ea non excidissent, non tamen in ea nati fuissent confirmati, tum quia plus perfectionis in sua nativitate non habuissent, quam eorum parentes; tum quia, praescindendo a speciali privilegio, quaevis creatura rationalis quamdiu hanc vitam vivit, semper potest a gratia excidere, ac tunc solum in ea confirmatur, quum per intuitivam Dei visionem efficitur beata. Cui addit D. Thomas l. cit., *quod tametsi Adam confirmatus fuisset statim post victoriam tentationis, adhuc non sequitur, quod filios confirmatos in justitia genuisset, quia hoc sequebatur actus personales ejus, ideoque erat perfectio ad personam pertinens, quam non oportet in filios propagari.* Adam caeterum non peccante, probabile idem S. D. censet, quod neque etiam ejus posteri peccaturi essent; non tamen per confirmationem in gratia, et post primam tentationem devictam, sed speciali Dei providentia eos ita gubernante, ne peccarent.

Prob. 3. pars auctoritate D. Aug.; advertit namque prae aliis Tourn. in Praelect. Theol. t. 1. qu. 16.

art. 5., *in hoc maxime stare ex S. Aug. discrimen gratiae utriusque status, quod in statu innocentiae opus non erat gratia, quae voluntatem praeveniret, et afficeret, cum sana foret, nullisque motibus inordinatis agitata, unde ipsi sufficiebat gratia intellectus, seu illustrationis; non ita verò in praesenti naturae lapsae, et corruptae conditione, ob infirmitatem scilicet voluntatis ex primo peccato derivatam. Unde nón semel ait Sanctus Doctor, sententiam Pelagii circa necessitatem gratiae interioris, quae mentem illustraret, veram fore, si ageretur de statu innocentis naturae; falsam vero esse in praesenti statu, in quo necessaria est, praeter illustrationem mentis, gratia voluntatis, seu quae voluntatem praeveniat, moveat, sanet, ac liberet; quam quidem gratiae necessitatem urget, ac demonstrat S. Aug. contra Pelagianos disputans, sive illa sit ex sese efficax; sive non.* Idem quoque scribit Petav. Theol. Dogm. De Deo l. 10. c. 18., scilicet, *quod prior Adami, et Angelorum gratia intelligentiae tantummodo praelucens, et quid facto esset opus, edocens, nihil in voluntatem derivabat, quod minime tunc erat necesse. Satis enim, ut Aug. inquit l. de corrept., et gr. c. 12., magnas vires habebat hominis voluntas, quae sine ullo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut digne tantae bonitati, et bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.* Et sane, ut addit S. Doctor loco cit. c. 11. *Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti, quum dicunt: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati.* Auxilium autem, quod Adae posteri implorant, est auxilium, ut ibidem docet S. Doctor, quo homo velit: Non igitur primus homo opus juxta Augustinum habuit id genus auxilio. Addit l. de Nat., et gr. c. 51. *Si enim iste, qui hunc librum scripsit* (nempe Pelagius). *de illa hominis natura loqueretur, quae primo inculpata, et salva condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum.* Dixerat autem Pelagius, possibilitatem non peccandi esse in arbitrii potestate, nec aliam requiri gratiam praeter legem, et doctrinam, atque revelationem Spiritus Sancti: Haec sola igitur revelatio, non adjutorium, quod voluntatem afficeret, fuit primo homini necessarium. Item

l. de dono persev. c. 7. quaestionem versans, an possit homo non peccare, idest perseverare in bono, resistere omni tentationi, servare omnia mandata, etc., respondet: *Non est hoc in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine, antequam caderet.* Et l. 3. Hipognostic. circa principium; *Respondemus* (inquit), *neminem posse per se sibi*, idest *per liberum arbitrium implere quod velit: recte dicimus*, *nisi protoplastum solum potuisse, cum voluntas liberi arbitrii fuisset sana ei ante culpam.* Hinc demum lib. supra cit. de corrept. , et gr. c. 10., *sic Deum* (dixerat) *ordinasse Angelorum, et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset suae gratiae beneficium, justitiaeque judicium.*

Prop. III. Convenientissimum, ac justissimum fuit praeceptum Adae a Deo impositum, ne comederet de fructu vetito; ejusque transgressio verum fuit primorum parentum peccatum, ac istud ex superbia profectum, ipsumque gravissimum: a quo resipuerunt quidem, et salutem sunt consecuti, sed ejus causa e cunctis; quibus ditati fuerant, donis, ac privilegiis tam pro se, quam pro suis posteris, exciderunt.

Prob. 1. pars, nihil enim justius, quam quod Adam, ut cognosceret, ac facto profiteretur, subjectum se esse Deo, nec non aliquod obedientiae testimonium Creatori suo redderet, leve saltem praeceptum Deus illi imponeret. Id autem Deus egit eidem praecipiendo; *De omni ligno Paradisi comede. De ligno autem scientiae boni, et mali ne comedas* (Gen. 2.). Ut nempe in haec scribit Chrysost. hom. 16. in Gen., *quasi liberalis Dominus, qui magnam, et admirabilem quamdam domum alicujus usui donans, non totum pretium, sed aliquantulam ejus partem accipere vult, ut dominii jus salvum sibi maneat, et ille interim sciat, se non aedificii dominum esse, sed gratia, et beneficentia Domini illo frui.* Quid ergo congruentius, vel justius?

Nec refert, Deum praescisse, quod Adam, et Heva per tentationem Daemonis illud transgrederentur. Nam, ut respondet D. Th., praesciebat etiam, quod per liberum arbitrium gratia instructum poterant facile tentationi resistere; maxime cum in iis nihil esset vitii, quod ad malum eos inclinaret, sicut modo est in nobis. Cui accedit, quod, ut advertit D. Aug. l. 11. de

Gen. ad litt. c. 4., *magnae laudis futurus non fuisset homo, si propterea posset bene vivere, quia nemo male vivere suaderet*: nec non quod ipsius hominis naturae conditio requirebat, ut propriae voluntati relinqueretur, secundum quod Eccli. 15. dicitur: *Deus reliquit hominem in manu consilii sui.*

Quod vero illud transgrediendo peccato se obstrinxerint, praesto esset Scripturarum testimoniis ostendere, adeo sunt obvia; pro quibus idcirco sufficiant hic Apostoli verba ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Mulier enim Adae in sociam data praeceptum fregit serpentis suasione decepta. Cumque illud fregisset, traxit quoque Virum in illius transgressionem. Hinc quoque dicitur Eccles. 25. *A muliere initium peccati, et per illam morimur omnes.*

Objiciunt quidem ex Lutheranorum grege nonnulli, praeceptum a Deo datum primis parentibus, ne de ligno scientiae boni, et mali comederent, non fuisse legem, sed meram admonitionem, ac prout sunt praecepta Medicorum, quum aliquid noxium prohibent; ait enim Apostolus 1. ad Tim. c. 1., quod *justo non est lex posita, sed injustis*; nec ulli dubium, quod primi parentes nedum justi, sed et conditi in justitia fuerunt. Ubi autem non est lex, nec praevaricatio, seu peccatum esse potest, ut docet idem Apostolus ad Rom. 4.: Nullius ergo peccati reos eos se fecisse, immo se facere potuisse per fructus illius comestionem, consequens est.

Respondetur tamen neg. maj.; praeceptum enim Adae, et Hevae datum de illo fructu non edendi legem, non meram admonitionem fuisse, luculentissimum argumentum est poena ob ejus esum inflicta; ejectio nempe e loco voluptatis, in quo positi fuerant, necessitas procurandi in posterum sibi victum cum dolore, et labore, ac maxime mortis sententia, qua cum omni simul eorum posteritate mulctati fuere, quemadmodum Apostolus cit. loco ep. ad Rom. docet; quod et repetit c. 6. illis verbis: *Stipendium peccati mors.* Et c. 8., inquiens: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*; non ex natura scilicet ligni scientiae boni, et mali, sed ex peccati merito.

Ad citatum vero Ap. textum respondet 1.° D. Am-

bros. in exposit. Ps. 36., ejus intellectum esse, quod lex non ponitur in tabulis propter justos, qui legem servant, et fideliter eam in corde retinent, ut Regius Psaltes de justo ait illis verbis, *Lex Dei ejus in corde ipsius*, sed propter peccatores, qui legis obliviscuntur, et ita vivunt, ac si legem non haberent. Ac 2.° respondet etiam D. Aug. l. de spir., et lit. c. 10., quod justi non habent legem supra se, quasi cervicibus imminentem, et flagello minantem, ac terrentem, ut eam habent injusti, qui nonnisi timore poenae bonum operantur; bonum namque justi operantur amore justitiae; illud quoque operaturi, etiam si lex non esset, nec poenam ullam minaretur. Quo sensu addit idem S. Doctor, dixisse Apostolum ad Rom. 6. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.*

Illud porro primorum parentum peccatum ex superbia profectum fuisse, non semel testantur Scripturae; ut Eccles. 10. illis verbis: *Initium superbiae hominis apostatare a Deo, quoniam ab eo, qui fecit eum, recessit cor ejus*; quasi diceret: Primus actus superbiae hominis in illa defectione patuit primi omnium parentis, dum a Deo, qui eum recens creaverat, recessit, nolens ejus imperio subjici. Item Tob. c. 4. *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas, in illa enim initium sumpsit omnis perditio.* Quibus accedit Ap. ad Rom. 5. *Sicut* (inquiens) *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam unius hominis justi constituentur multi.* Nolle autem alterius imperio, et praeceptis subjici, quae proprie dicitur inobedientia, primus superbiae actus est; ex qua proinde profectum fuisse primorum parentum peccatum, manifeste sequitur.

Idem quoque PP. confirmant; pro quibus sufficiat D. Aug. l. 2. de Gen. contra Manichaeos c. 15 *Videmus, per superbiam peccatum esse persuasum, ad hoc enim valet, quod dictum est: Eritis sicut Dii. Quid hic intelligitur, nisi persuasum esse, ut sub Deo esse nollent, sed in sua potestate potius sine Domino?* Et l. 11. c. 34. *Quid mirum, si superbi volentes esse, sicut Dii, evanuerunt in cogitationibus suis?* Et c. 35. *Impari sexu, pari fastu.* Quod et confirmat tract. 4. in ep. Jo., *Adam* (inquiens) *in Paradiso positus contempsit praeceptum Dei, et erexit cervicem, veluti in potestate sua esse cupiens, et nolens subdi potestati Dei.*

Eorum vero superbiae initium, progressum, et finem ita describit Bellarminus l. de pecc. primi hom. c. 5. *Post audita verba Diaboli*, Eritis, sicut Dii scientes bonum, et malum, *quae verba mulier ab ipso Diabolo, vir a muliere audivit, volvere coeperunt intra se, pulchrum esse, non pendere ab alio; et simul coeperunt delectari propria potestate, eamque appetere, ac vehementer placere sibi: et occupati ejusmodi cogitatione, delectatione, ac desiderio; non erexerunt animum ad Deum, neque cogitaverunt, id neque fieri posse, neque sibi expedire: atque ita paullatim ad se magis, ac magis conversi, et a Deo aversi caecutire coeperunt, et fidem habere verbis Satanae, et Dei praeceptum, minasque contemnere. Sic enim, ut docet Aug. l. 14. De Civ. Dei c. 28., gradatim pergitur in via iniquitatis ab amore sui usque ad contemptum Dei, quemadmodum in via justitiae ab amore Dei usque ad contemptum sui.*

Gravissimum autem fuisse eorum peccatum, non quidem ex objecto, quia idololatria, et blasphemia sunt ex natura sua graviora, sed ex circumstantiis, probat D. Th. 2. 2. qu. 163. a. 3. 1.° ex sanctitate personae, et perfectione status. 2.° ex libertate, quae in iis fuit plenissima, quia sine ullo concupiscentiae impulsu, aut infirmitatis pondere. 3.° ex ratione praecepti, quod erat impletu facillimum; ut enim D. Aug. disserit l. 14. De Civ. Dei c. 15., *hoc praeceptum tam leve ad observandum tanto majori industria violatum est, quanto faciliori posset observantia custodiri.* Ubi etiam describens S. D., quot, quantisque donis Deus primum hominem cumulaverat, unico tantum, ac levissimo ei injuncto praecepto, *vide* (addit), *quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas.* 4.° ex gravi nocumento, quod ex eorum inobedientia secutum est, cum totam humanam naturam infecerit, aerumnisque compleverit. Hinc vocatur ab eodem in Enchir. c. 45. *Ruina ineffabilis, ineffabiliter grande peccatum.*

Accedit, quod, ut advertit idem D. Aug. loco novissime cit. c. 47., non unum, sed plura in eorum transgressione fuerunt peccata: *Nam* (inquit) *et superbia est illic, quia homo in sua potius esse, quam in Dei potestate, dilexit. Et sacrilegium, quia Deo non*

credidit. Et homicidium, quia se praecipitavit in mortem. Et fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanae serpentina suasione corrupta est. Et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est. Et avaritia, quia plus quam illi sufficere debuit, appetivit. Et si quid aliud, in hoc uno admisso diligenti consideratione inveniri potest.

Addunt Rupertus, Hugo, et Magister Sent. in 2. dist. 1., peccatum quoque infidelitatis in illa transgressione fuisse; idque satis colligi ex *forte*, quod Heva quasi dubitans praecepto Dei addidit, inquiens: *Ne forte moriamur*. Nec tantum Heva, ut advertit Alapide in Gen. c. 3., cumque eo et Bellarm. l. 3. de amiss. gr. c. 6., sed et Adam *tum ex praecedente elatione, tum ex habita experientia, quod mulier, manducato illo cibo, non fuerat mortua, dubitare coepit, an forte verum esset, quod Diabolus dixerat*, Eritis, sicut Dii; *non enim Deus ironice dixisset*, Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est, *nisi Adam aliquo modo credidisset, se futurum, sicut Deum, cibum illum comedendo*. Hinc scribit idem Bellarminus, tam Hevam, quam Adam *post superbiae peccatum incidisse in infidelitatem, communem esse Patrum sententiam*, ita enim Tertull. cont. Marc. c. 2.; Ambros. ep. 33. ad Marcellinam Sororem; Aug. in Enchir. c. 45., l. 14. de Civ. Dei c. 17., et l. 1. cont. Jul. c. 3.; Leo Magn. ser. 4. De Nat. Dom., etc. Nec adversatur quod ait Apostolus 1. ad Tim. c. 2., Adam nempe seductum non fuisse, sed Hevam. Respondet namque laudatus Alapide, ita Apostolum scripsisse, *quia Heva seducta fuit a Serpente, volente eam seducere, ut ederet pomum; Adam vero non a serpente deceptus, sed tantum illectus fuit ab uxore, quae eum non intendebat decipere*, ac ipse seipsum seduxit. Hinc D. Chrysost. hom. 9. in 1. ad Tim., *Ad comparationem* (inquit) *Mulieris dicit, illum non fuisse seductum*.

Nec demum omittendum super eodem primorum parentum peccato, quod D. Th. advertit l. cit. art. 4., nempe, quod licet, si peccatum in se spectes, gravius videatur peccasse Hevam, tum quia prior peccavit, tum quia Adamum ad peccatum induxit, ac ita se, et ipsum, nosque omnes perdidit: si tamen circumstantiam personae spectes, gravius dicendum est, peccasse Adamum; tum quia perfectior erat, et prudentior, quam Heva;

tum quia Adam immediate a Deo acceperat hoc praeceptum, Heva vero mediate tantum, scilicet per Adamum.

Tam Adam vero, quam Hevam resipuisse, et salutem consecutos esse, commune est; immo, ut scribit Bellarminus l. de pecc. primi hom. c. 12, *una ex Tatiani haeresibus fuit, primos homines post mortem aeternae damnationi addictos fuisse.* Et quidem de Ada aperte id testatur liber Sap. c. 10. illis verbis: *Haec illum, qui primus formatus est a Deo Pater Orbis Terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, et eduxit illum a delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia.* Hinc ita de eo scribit D. Aug. ep. 99. ad Evodium: *Et de illo quidem primo homine patre generis humani; quod eum Christus ad inferna descendens solverit, Ecclesia fere tota consentit. Quod eam non inaniter credidisse, credendum est, undecumque hoc traditum sit, etiamsi Canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Quamquam illud, quod in libro Sapientiae c. 10. scriptum est*, Haec illum etc., *magis pro hac sententia, quam pro ullo alio intellectu facere videatur.*

Nec id tantum de Ada, sed et de Heva sentiunt Patres, cumque iis Ecclesia, ut laudatus Bellarminus addit, inquiens l. cit., quod *oppositus error communi Patrum, et Ecclesiae consensu rejectus est.* Ita plane prae aliis D. Irenaeus l. 3. c. 34., et sequ., qui id etiam multis rationibus probare conatur; ac praesertim 1.° quia sententia contraria nova est, et a Tatiano primum invecta. 2.° quia Deus non maledixit Adae, et Hevae, sicut Serpenti, cujus salus omnino deplorata erat, immo illos ad resipiscentiam invitavit, iisque veniae, ac salutis spem dedit Redemptoris promissione. 3.° quia secus dum bonus Pastor gloriari non potuisset, invenisse ovem perditam, Diabolus gloriari posset, se a Christo non fuisse devictum, quia nempe primi parentes non fuissent ab ejus captivitate liberati.

Demum, a primo felicitatis statu lapsis primis parentibus per peccatum; secum quoque totum genus humanum et in peccatum, et in aerumnas, quas omnes plangimus, tragico eventu eos traxisse, fides Catholica docet contra Pelagianos, ac nos, quantum satis erat, in tractatu de peccato originali ostendimus. Praecipuis tamen illius peccati effectibus, de quibus eo loci locuti sumus, plures item, ac plures alii adduntur, quos laconice Ec-

clesiastici Scriptor c. 41. appellavit *grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae*; quosque Bellarminus l. 3. de pecc. orig. c. 9., et sequ. hoc ordine enumerat. Scilicet *ex parte intellectus* 1.° ignorantia rerum necessariarum in infantibus tanta, quanta ne in bestiis quidem cernitur, ita ut *jacentibus mammis* (ut scribit D. Aug. l. 1. de peccat. mer., et rem. c. 38.), *magis possint esurientes flere, quam sugere.* 2.° fatuitas, cum qua nonnulli nascuntur, ut *non multum* (ut habet idem S. D. ep. 28. ad Hieron.) *a pecoribus differant, quos moriones vulgo nominant*, 3.° difficultas discendi, nam sine labore ignoramus, ac nonnisi cum labore discimus. 4.° ignoratio ultimi finis, in cujus adeptione tota hominis beatitudo consistit. 5.° ignoratio mediorum ad finem, per quae scilicet ad beatitatem perveniendum sit. 6.° difficultas intelligendi naturas rerum, et ex earum cognitione ad Conditoris cognitionem assurgere, quam enim obscuram, ac tenuem de Deo notionem acquirere possit humanum studium, tot monstrosae opiniones Ethnicorum de Natura Dei satis testantur. 7.° ignoratio propriae mentis, nihil enim minus mens humana, quam seipsam, cognoscit, nec solum naturam suam, sed et ipsa opera sua, unde David ajebat Ps. 18. *Ab occultis meis munda me, Domine.* 8.° impedimentum corporis, ne facile, perfecteque intelligat: *Corpus enim* (ut ait Scriptor Sap. c. 9.), *quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* 9.° curiositas illa propemodum naturalis, ob quam rari sunt, qui non libentius, ac diligentius aliena facta, ac praesertim errata observent, quam sua. 10.° iactura temporis in volvendis vel inviti animo tam multa inania, levia, inepta, etiam alienissimo tempore.

Ex parte voluntatis 1.° amor ille inordinatus, qua omnes quaerunt quae sua sunt, nisi per Spiritum Sanctum charitas Dei in eorum cordibus infundatur. 2.° difficultas, quam experimur in vitiis superandis, et virtutibus excolendis; cujus causa necessaria est pro minoribus *disciplina illa* (ut loquitur D. Aug. l. 22. de Civ. Dei c. 22.), *qua Scriptura Sancta dicit, dilecti filii latera esse tundenda, ne crescat indomitus, domarique jam durus, aut vix possit; aut fortasse non possit:*

pro majoribus vero legum severitas excogitavit cruces, secures, patibola, ignes, ut tanta saltem saevitia pronitas humanae voluntatis ad malum coerceatur. 3.° incredibilis illa negligentia in iis, quae ad bene vivendum tum in hac vita, tum etiam post mortem pertinent. 4.° salutis aeternae oblivio, tametsi, animam immortalem esse, naturaliter cognoscamus; quo nihilominus obstante, nihil plerique minus curant, quam quod iis eventurum est post mortem. 5.° immoderata sollicitudo in temporalibus captandis, cumulandisque; quam sane humani generis calamitatem Ethnicus quoque ille deplorans, *O curas hominum* (inquit) *! O quantum est in rebus inane*! 5.° segnities in Dei cultu, quamvis ad illum toto cordis affectu, totisque viribus colendum perennibus, atque inextimabilibus beneficiis urgeamur. 6.° inconstantia, et instabilitas, qua rem eamdem modo volumus, modo nolumus; ac modo neque plane volumus, neque plane nolumus. 7.° fastidium proprii status, adeo ut nemo sorte sua contentus vivat, utque ait D. Greg. hom. 36. in Evang., *nescimus quid desiderare debeamus*. 8.° impotentia absque speciali privilegio peccata omnia etiam venialia in tota vita vitandi; dumque nemo peccare potest, nisi velit, nec aliquid magis est in potestate hominis, quam velle, non possumus tamen absque speciali privilegio semper bene velle, et per hoc absque omni peccato semper vivere.

Ex parte animae inferioris, ad quam scilicet pertinent sensus tum interni, tum externi, ac duplex appetitus, irascibilis nempe, et concupiscibilis, 1.° quod tam multi nascantur caeci, aut muti, aut claudi, aut alio modo laesi. 2.° illusio somniorum, quae nec partem illam temporis nobis liberam relinquit, quae ad aliquantulam requiem a natura concessa fuisse videtur. 3.° infirmitas in irascibili, cujus causa non raro homines, velut in feras, convertuntur, ac videntur affici rabie, ut canes, pungere, ut scorpiones, mordere, ut serpentes. 4.° effraenatio in concupiscibili, quae, velut soluta, contra spiritum pugnat, ac illud intestinum in nobis bellum fovet, propter quod Apostolus ad Rom. 7., *Infelix ego homo* (ajebat) ! *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*?

Ex parte corporis 1.° innumera morborum gene-

ra, ut nec libris Medicorum omnia comprehensa sint. 2.° id genus remediorum nonnumquam necessitas, ut levius malum sit ipse morbus, quam medicina. 3.° necessitas laboris ad vivendum, juxta id, quod Deus ipse Adae praevaricatori dixit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* 3.). Quam ob causam dicitur quoque Job 5. *homo nasci ad laborem, ut avis nascitur ad volatum.* 4.° vitae brevitas. 5.° timor, ac horror mortis.

Quibus omnibus non pauca demum sunt, quae extrinsecus accedunt: et quod scilicet Adversarius noster Diabolus, tamquam leo rugiens, die, noctuque circuit quaerens, quem devoret: et quod non raro homo homini hostis crudelissimus, et immanissimus sit: et quod bruta animalia hominis imperio non pareant, nec desint, quae etiam ejus vitam insectantur: et quod e Coelo, Terra, ac Mari tot nobis calamitates interdum superveniant: et quod demum casus etiam fortuiti aliquando contra nos pugnent: *De foro quidam rediens domum* (ita D. Aug. l. 22. De Civ. Dei c. 22.) *sanis pedibus suis, cecidit, pedem fregit, et ex illo vulnere finivit hanc vitam. Quid videtur sedente securius? De sella, in qua sedebat, cecidit Heli Sacerdos, et mortuus est.*

FINIS QUARTI VOLUMINIS.

